



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Octava. De Suscipiente Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

nibus aut exceptionibus ambigua est oratio, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quam pereat. Idem habetur cap. Abbat de verbor. signific. ibi: *Profecto sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius quam perire.*

Ergo similiter in casu presenti tanta potest esse probabilitas causæ petentis restitutionem rei suæ; ut etiam consideratâ possessione alterius partis, adhuc probabilius sit rem ipsi deberi, vel saltem verè probabile: & in istis circumstantiis Doctor consultus poterit respondere possidentem debere restituere, sequendo opinionem suam probabilem.

An Doctor interrogatus debeat respondere secundum propriam opinionem.

Dico, *Opinionem suam*; quia, si verum est, quod ait Vasquez supra: Qui interrogat Doctorem aliquem an obligatus sit ad restituendum, non interrogat de opinione aliorum Doctorum, sed de opinione ipsius quem interrogat; si hoc, inquam, verum est, Doctor interrogatus non videtur suo muneri satisfacere, si relinquens suam opinionem, qua credit eum non obligari ad restituendum, secun-

dum aliorum sententiam respondeat obligando ipsum ad restitutionem: etenim interrogantem decipit.

An autem hoc verum sit, posset dubitari, & fortè negari dicendo, interrogantem solummodo inquirere quid ipse à parte rei facere debeat vel possit, nisi aliud expressè significet. Sanè si Doctor eum excusaret à restitutione secundum sententiam aliorum, credo firmiter, quòd nullatenus conquereretur de deceptione.

Atque ex his sit finis impositus huic controversiæ, immo & Sectioni. Nam quod attinet ad jurisdictionem Ministri, planè aliqua requiritur extra casum necessitatis, nè videlicet in Ecclesia Dei omnia inordinatè & confusè fiant; sic (inquam) requiritur, ut peccet, etiam mortaliter, qui sine ea ministrat Sacramentum (excepto Matrimonio) ut patebit suis locis agendo de Sacramentis in particulari.

Impresentiarum sic expeditis conditionibus requisitis ex parte ministri, reliquum est ut examinemus condiciones necessarias in suscipiente.

SECTIO OCTAVA.

De Suscipiente Sacramentum.

I. Solum viatores sunt capaces Sacramentorum.

Constat Primò solos viatores esse capaces Sacramentorum, morali (ut sic loquar) capacitate, id est, cum effectu gratiæ sanctificantis. Posset quidem physicè Beatus sumere sacram Eucharistiam (nam etiam bruta possunt materialiter sumere sacram hostiam) non tamen sacramentaliter tamquam cibum spiritualem nutritivum.

In parvulis non requiritur ulla dispositio ut fructuose recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces.

Constat Secundò apud omnes Catholicos, nullam in parvulis (eadem est ratio perpetuò amentium) requiri fidem, intentionem aut aliam quamcumque dispositionem, ut validè, imò fructuose suscipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, puta Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & verosimiliter Ordinem.

Quæritur ratio? In promptu est, scilicet carentia usûs rationis, ex qua incapaces sunt propriæ fidei, intentionis aut alterius cuiuscumque dispositionis. An autem requiratur fides vel intentio parentum offerentium suos parvulos, statim videbimus.

Tota ergo controversia devolvitur ad

adultos, id est, ratione utentes, vel qui aliquando ratione usi fuerunt, in quibus certum est plura requiri ad licitam, quam ad validam tantum susceptionem; uti etiam superiori Sectione vidimus plura requiri in ministro ad licitam ministracionem, quam ad validam tantum. Incipiendo autem ab ultimo:

CONCLUSIO I.

Adultus qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, invalidè suscipit Sacramentum, quod consistit in usu.

Dico quod consistit in usu, quia de Eucharistia, quæ est Sacramentum permanentis, est diversa ratio; quippe ante summptionem supponitur habere veram ac propriam rationem Sacramenti. Unde etiam animalia irrationalia validè illud suscipiunt; ergo etiam homo penitus contradicens.

An

Secl. 8. De Suscipiente Sacrament. Concl. 1. 211

An autem cum fructu, infra dicam.

Non alia Sacramenta, ut dicit Innocentius III. de Baptismo.

De alijs itaque Sacramentis ita expresse determinat Innocentius III. c. Maiores de Baptismo & ejus effectu, ibi: Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti.

Etiā de suscipiente in somno vel amentia.

Loquitur de Baptismo (eadem est ratio aliorum Sacramentorum) & probat à simili: Sicut (inquit) nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamans thurificare idola, cogitur violenter.

Idem decernit ibidem Pontifex de illo, qui in somno vel amentia suscipit Sacramentum Baptismi, non retractatà priori voluntate de Baptismo nunquam suscipiendo, ibi: Dormientes autem & amentes si priusquam amentiam incurverent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, & si fuerint sic emerfi (abas, immerfi) characterem non suscipiunt Sacramenti.

3. Ratio defuitur à voluntate Christi.

Ratio petitur à voluntate Christi, qui poterat quidem absolute Sacramenta sic instituire, ut etiam his valerent, tamen non instituisse colligitur ex sensu DD. & Ecclesie. Congruentiam accipio ex Scoto 4. dist. 4. quaest. 4. num. 3. ibi: Si ergo ipse sit utroque modo (negativè & contrariè, simpliciter & secundum quid) dissentiens, dico quod non recipit Sacramentum; quia Deus per Sapientem dicit Proverb. 23. Fili praebe mihi

Pro. 23.

cor tuum, nolens aliquem omnino invitum adscribi familiae suae: suscipiens autem Baptismum adscribitur per hoc familiae Christi. Infero ergo: Ergo neque omnino invitus & animo repugnantis illa vult conferri Sacramenta, quae pro suis familiaribus instituit, ut sunt Confirmatio, Penitentia &c.

Non est distinguendum de reclamante sive protestante signo exteriori sumo dissentium, & de non reclamante, quia in rei veritate si est dissentium, omnino idem est quoad Deum: tamen quantum ad iudicium Ecclesiae iudicantis de mansis, & eum qui tacet praesumentis consentire, non cogitur reclamans ad observantiam religionis Christianae, cogitur autem non reclamans. Nec in hoc potest argui Ecclesia, quod isti nolenti, tamen non reclamanti, fiat iniuria. Minus enim malum est sibi, quod invitus servet legem Christianam, quam quod impune permittatur agere contra eam: quia minus malum est invitum aliqua bona facere & mala fugere, quam liberè & impune mala agere & bona dimittere.

4. Quis contra inquit in Glossa.

Addit Doctor: Neque oportet hic distinguere de reclamante sive protestante signo exteriori sumo dissentium, & de non reclamante, quia in rei veritate si est dissentium, omnino idem est quoad Deum: tamen quantum ad iudicium Ecclesiae iudicantis de mansis, & eum qui tacet praesumentis consentire, non cogitur reclamans ad observantiam religionis Christianae, cogitur autem non reclamans. Nec in hoc potest argui Ecclesia, quod isti nolenti, tamen non reclamanti, fiat iniuria. Minus enim malum est sibi, quod invitus servet legem Christianam, quam quod impune permittatur agere contra eam: quia minus malum est invitum aliqua bona facere & mala fugere, quam liberè & impune mala agere & bona dimittere.

Contrarium innuit Glossa in c. Maiores mox citato, Verbo Perdurare: Non contradicunt (inquit) quia illi ore exprimunt se velle baptizari, licet corde dissentiant, & ideo Sacramentum recipiunt. Consonat textus, ibi:

Cum non solum parvuli, qui non consentiunt, sed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiant, recipiant gratiam. Et infra: Talis (sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum. Confirmatur ex Aug. ad Donatistas, & refertur 1. q. 1. c. 35. Sicut ficti veraciter non fictè recipiunt, nec eorum Baptisma reprobat, sic & illa, quae schismatici vel haeretici, si non aliter habent nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus.

S. Aug.

Verum enim verò (ut bene notat Gratianus) verba prioris partis hujus capituli usque ad verbum Reprobat, non sunt inventa apud D. Aug. sed habetur sententia lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 12. expressè his verbis: Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione & verà confessione purgetur quod non posset sine Baptismo, sed ut, quod ante datū est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit. Ubi per fictum non intelligit S. Doctor eum, qui corde dissenserat, sed qui ostēderat se esse dispositū ad effectum Sacramenti, cum tamen interius non esset dispositus. Patet: quia dissensus cordis non recedit veraci confessione, sed mutatione voluntatis.

58

Ad verba textus dico, illa non esse Pontificis. Quid claritè? Sunt (inquit Innoc.) nonnulli, qui dicunt quod Sacramenta, quae per se sortiuntur effectum, ut Baptismus & Ordo ceteraq. similia, non solum dormientibus & amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur, cum non solum parvuli, qui non consentiunt, sed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiant, recipiant Sacramentum. Et continuo subjungit: Sed opponitur talibus &c. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, alij non absurde distinguunt, quod is, qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum. Vides Pontificem solum referre quid alij sentiant?

6. Non rectè Glossa citat verba Innocenti.

Video (inquis) attamen quis versatus in Jure Canonico ignorat Innoc. alterutram sententiam approbare?

Approbat omnino, sed posteriorem, in qua non explicatur quid sit fictè ad Baptismum accedere; & ideo comòde intelligitur de indispositione cordis ad effectum Sacramenti. Vel si hoc minus arrideat, audi quod sequitur in jure: Et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianae. Fictus ergo erit, qui exterius quidē ostendit se absolute velle Baptismum, in animo tamen conditionaliter

7. Quam sententiam Innocentius approbat.



solum erit volens, hoc est, nollet suscipere, si posset alio modo v. g. salutare vitam, interim simpliciter vult.

Si dicas: Potest omnia incommoda externa evitare; etsi nullo modo interius consentiat; non abnuo; equidem etiam fieri potest, ut conditionaliter consentiat, præeligens Sacramentum validum, si alioquin ex metu mortis, aut alterius mali imminentis, permittat sibi illud exterius adhiberi.

8. Sin autem absolute in corde dissentiat (quod plerumque natum est contingere, præsertim si nullis terroribus aut supplicijs violenter attrahitur, sed ex mera malitia; causâ Sacramenti deridendi, ore consentiat) tunc indubitanter assero cum Scoto supra; in iudicio Dei non suscipere validum Sacramentum; tamen quantum ad iudicium Ecclesiæ iudicantis de manifestis; & eum qui tacet præsumens consentire, cogeret ad observantiam religionis Christianæ.

Qui externè consentit, non autem internè, in iudicio Dei non validè suscipit Sacramentum, in iudicio autem Ecclesiæ consentiret consentisse.

Et hæc sit tertia responsio, quam accipio ex ipsis verbis Juris: *Oportet (inquit) ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur; ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, saltem in foro Ecclesiæ, vilis ac contemptibilis habeatur.*

9. Sed instas rursùm: Qui metu tormentorum absque interna voluntate cultûs thurificat idolis, ore non contradicens aut reclamans, incurrit notam alicujus reatus; ergo ore non contradicens, licet corde dissentiens, suscipit rem & characterem Sacramenti. Consequentia probatur: quia Innoc. in hoc cap. (ut supra dixi) comparat penitens contradicentem & nunquam consentientem Baptismo, ei, qui penitens contradicens cogitur thurificare.

Respondedo negando consequentiam. Ad probationem dico, omnem similitudinem claudicare. Et sanè ad confirmandum intentum Pontificis sufficiebat, ut quemadmodum qui interius & exterius contradiceret thurificationi, non incurreret aliquem reatum; ita etiam qui ore & corde contradiceret Baptismo, non susciperet rem vel characterem Sacramenti: an autem interna & externa contradictio requiratur ad invaliditatem Sacramenti, an verò sufficiat repugnantia cordis sola, in illa similitudine Innoc. non determinat.

10. Porro disparitas inter Sacramentum & idololatriam plana est, dicente Christo Matth. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Quæ verba tota Ecclesiæ semper intellexit de sola externa fidei negatione. Et tamen verba im-

Matth. 10.

diatè antecedentia: *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, quis unquam Catholicus exposuit de sola confessione oris? Ergo plus requiritur ad veram ac validam confessionem fidei, qualis est susceptio Sacramenti, quàm ad ejus abnegationem, five ad incurrendum reatum infidelitatis.*

Sit itaque Theologicè certum, corde penitens dissentientem & contradicentem in iudicio Dei nec rem nec characterem suscipere Sacramenti. Sed nunquid necessarium est, ut positivè consentiat? Respondeo & dico:

CONCLUSIO II.

Ut adultus validè suscipiat Sacramentum, non sufficit quòd non repugnet seu quòd habeat se merè negativè, sed debet consentire saltem implicite & habitualiter, non in actionem solum externam, sed in ipsum Sacramentum.

Pro clariori intellectu, Nota ex Scoto supra n. 3. Aliquem non consentire potest intelligi contrarie, vel negativè. Negativè tantum negat actualem consensum: contrarie verò ponit actualem dissentium. Et patet distinctio, quia non est idem non velle & nolle. Si autem accipiat contrarie pro dissentiente actu, aut dissentit simpliciter, aut secundum quid; & intelligo simpliciter sicut est expositum in 3. libro, quòd ille, qui ut fugiat aliquid incommodum, vult aliquid, simpliciter vult illud; sicut projiciens merces in mari, ut fugiat submersionem, simpliciter vult projicere merces. Nam potentiam suam motivam ad projiciendum voluntas movet imperando, & ipsa se ipsam liberè movet, quia cogi non potest. Simpliciter ergo volens projicit, sed secundum quid volens, hoc est, sub conditione nolens; quia nollet, si posset alio modo salutare vitam.

Hæc distinctio præmissa, docet Primò penitens contradicentem non recipere Sacramentum, ut ostendimus conclusione præcedenti. Secundò circa præsentem conclusionem discurre in hunc modum: Si autem (inquit n. 4.) secundum quid dissentiat, sed simpliciter consentit; & hoc non tantum in illam ablutionem, tanquam in quoddam balneum, sed in ablutionem eo modo, quo illam intendit

Distictio consentis in contrarium & negativum ex Scoto

Distictio Scoti circa conclusionem

intendit sacre Ecclesia, ille simpliciter recipit Sacramentum, quia simpliciter est volens, licet secundum quid nolens; & de tali loquitur illud Concilium Toletanum, quod allegatur extra de Baptismo c. Majores, quod illi, qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, quia iam constat Sacramentis divinis associatos, oportet ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur &c.

Exemplum huius (prosequitur Doctor) qualiter aliquis potest consentire in illam ablu-tionem suscipendam, eo modo, quo confertur ab Ecclesia, & tamen nollit, si posset evadere tormenta, quia non credit eam aliquid valere; sicut potest haberi de eo, qui non credit verba incantationis posse habere aliquem effectum, tamen concedit incantanti, quod dicat illa verba super eum eâ intentione, quâ solet ea dicere, dicendo in corde suo: valeant quantum valere poterunt. Iste vere diceretur incantatus: & si talis incantatio super aliquem diceretur consecratio diaboli, ille esset diabolo consecratus. Et transiens ad consensum virtuales,

Si quis autem non consentiat tantum negativè dico quod recipit Sacramentum, si consentit virtualiter: quia nollit Deus obligare hominem ad impossibile, vel, secundum statum huius vite, nimis difficile. Nunc autem non distrahitur videtur difficile homini pro hoc statu, quia secundum Aug. 3. de libero arbitrio: Non est in voluntate nostra, quin vitis tangamur. Ergo nollit Deus salutem hominis ponere in ista conditione: Si non distrahatur. Nec ergo voluit obligare eum, quod in suscipiendo Baptismum non distrahatur. Hercule si intentio virtualis sufficiat ad conferendum, potius sufficere debet ad recipiendum. Etenim semper (ut vidimus Sect. præced.) requiritur intentio in ministro, secus in suscipiente, ut patet in parvulis & amentibus.

12.

Et si quæras, esto quod non consentiens actualiter, tamen consentiens virtualiter, recipiat Baptismum; nunquid & ille, qui solum consentit habitualiter, recipit? Et esto quod sic; nunquid ille, qui tantum negativè non consentit, negativè etiam non dissentit, quia nec actum, nec habitum oppositum habet? Ita interrogat Scotus n. 5. Et respondet: De Primo dici posset, quod talis indicatur habitualiter consentiens, quia aliquando habuit consensum actualem non interveniente dissensu: & talis, licet utens ratione recipit Sacramentum, quia non videtur propter aliquam conditionem minus capax, si utitur ratione, quam si prius usus non utatur nunc, sed in tali non utente nunc, prius tamen uso sufficeret habitualis consensus: ergo & in hoc. De Secundo, licet difficile esset aliquem talem invenire, præcipue qui prius aliquando cogitasset de Baptismo, quia vel tunc placuisset sibi baptizari,

vel non placuisset, imò displicuisset: & secundum ultimum modum iudicaretur talis habitualis consensus vel dissensus esse imposserum. Tamen si quis esset omnino non consentiens nec dissentiens, tam actualiter, quam habitualiter, & tamen utens ratione, non esset capax Baptismi; quia ex quo utitur ratione, oportet quod habeat devotionem aliquam ad Sacramentum, si debet sibi valere; aliter enim videretur contemere.

Hæc Ille circa præsentem controversiam, quæ maximè oritur ex ultimis verbis c. Majores de Baptismo; siquidem Pontifex concludens quæstionem ibi discussam, inquit: Tunc ergo characterem sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem. Ergo (inferunt quidam) ad validam susceptionem Sacramenti non requiritur ex mente Innoc. positivus consensus; sed satis est, quod voluntas positivè non dissentiat, sive non repugnet.

Respondeo negando consequentiam; intelligit quippe Pontifex voluntatem contrariam privativè, id est, negationem positivæ voluntatis, quæ potest & debet inesse. Et dato quod loquatur de voluntate contraria positivè; haud equidem voluit determinare, quod tunc semper valeat Sacramentum, cum illam non invenit obstitentem (neque enim communiter DD. aut Ecclesia sic ipsum intellexerunt) sed cum illam non invenit, & ideo invenit positivam voluntatem Sacramenti; quam idcirco non expressit, quia cum Scoto supra supposuit, moraliter nunquam utramque voluntatem abesse.

Hanc esse genuinam mentem Innoc. clamat totus contextus. Et Primò quidem verba immediatè præcedentia: Dormientes autem & amentes &c. Vide supra. Secus autem, si prius Catechumeni exiissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales (scilicet qui prius habuissent positivam voluntatem Baptismi) in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Ubi etiam in moribundis requirit & supponit positivum consensum, non ad effectum percipiendum, de quo ibi non agitur; sed ad essentiam Sacramenti.

Secundò, paulò superiùs dicitur: Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti; quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire. Nota ly sed penitus contradicit, quod non additur per modum limitationis, sed per modum augmenti; & argumentatur Papa quasi à minore ad majus, ac si diceret: si enim ille, qui simpliciter non consentit, invalidè baptizatur, quanto

13.
Explican-
tur verba
Innocentij;
Tunc ergo
Characterem
&c.

14.
Illorum
verborum
sensus de-
ducitur ex
contextu.

15. quanto magis qui positivè contradicit ?
Tertiò, distinctioni inter invitum & invitum, coactum & coactum, quam habes conclusionè præcedenti, statim Innoc. attingit: *Et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ.* Igitur si nullo modo velit, nequidem conditionaliter, censetur penitus invitus, etiam si non habeat positivam voluntatem contrariam. Quod maximè verum censeo in Sacramento Baptismi, de quo in illo textu agitur. Etenim baptizatus, per Baptismum ipsum (ut loquitur Trident. sess. 7. can. 7.) non solius tantum fidei debitor fit, sed universæ legis Christi servandæ; ad quod debitum, sanè gravissimum non diligentibus, censetur aliquis positivè invitus, saltem habitualiter, nisi aliquo modo positivè velit renuntiare suæ libertati.

Et quis scit, an illa etiam non fuerit causa, ob quam Pontifex nullam fecerit expressam mentionem de illo, qui nec consentit, nec dissentit; quia nempe existimabat ipsum comprehendere sub penitus invito? Quippe qui positivè non se obligat, censetur semper habitualiter velle retinere suam libertatem, sicuti habet similem voluntatem retinendi alias res suas. Adde casum esse metaphysicum (ut supra insinuavi) de quo proinde in generali decisione non habetur ratio.

16. Interim non ad solum Baptismum, sed etiam ad alia Sacramenta requiritur positivum consensum, instrumur ex Concil. Carth. 3. c. 34. ibi: *Vt ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de penitentibus agendum est.*

Idem decernit Concil. Arausicanum I. c. 11. aliàs 12. *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari aut Penitentiam accipere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Ergo à contrariò sensu non sunt baptizandi aut absolvendi, si voluntatis præteritæ aut præsentis non habeant testimonium, idque sive in infirmitate, sive extra; quippe si in necessitate requiritur talis consensus, multò magis extra eam.

17. Confirmatur ex Rituali Romano Titulo de Baptismo adulatorum: *Amentes (inquit) & furiosi non baptizentur, nisi tales à natiuitate fuerint: tunc enim de ijs idem iudicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesie baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostende-*

rint, ac vite periculum imminet, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemq; dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans & intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium. Ubi Primò prohibet baptizare amentem aut furiosum. Secundò permittit, si sit perpetuò amens. Tertiò, et si non sit perpetuò amens, si dum dilucida habebat intervalla, ostendit Baptismi desiderium; tunc enim baptizari potest, etiam in amentia, si sit periculum; per se tamen debet fieri, dum est compos mentis: adeoque si non præcesserit illud desiderium, manet primum generale: *non baptizentur.* Infero: ergo invalidè baptizantur. Consequentiâ tenet, quoniam Baptismus est medium necessarium ad salutem: ergo irrationabiliter Ecclesia illius administrationem prohiberet pro isto articulo, si valeret.

Petes, quid ergo dicendum, si surdus & mutus & cæcus non sit in infantia baptizatus? Respondeo baptizari adultus non posset, quia non est capax consensûs, qui in adulto requiritur. Diana parte 9. tract. 6. resol. 2.

Surdus autem & mutus, qui videns alios baptizari, peteret etiam Baptismum, si deprehenderetur sufficienter instructus, posset baptizari; adhibendum tamen iudicium Episcopi, saltem de congruo, si commodè possit adiri. Ita Diana parte 5. tract. 6. resolutione 1. Potest autem talis satis instrui per nutus, qui ei significant, sicut audientibus voces.

Porro de Extrema Unctione sic ordinat idem Rituale Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis: *Infirmis autem, qui dum sana mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirant, aut non sentiant, nihilominus præbeat. Ecce rursus requiritur aliqua voluntas infirmi, saltem implicita aut habitualis, ut illud Sacramentum debeat & possit administrari.* Quanto amplius necessarius erit positivus consensus ad Ordinem & Matrimoniam, quæ hominem multis obligationibus subiiciunt?

Profectò non incongruè videtur possè dici de omnibus Sacramentis, quod D. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. pronuntiat de hoc Sacramento: *In infantibus: qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impii voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad usitiam possunt, nec ore confiteri.*

Trident.

16. Non solum ad Baptismum, sed etiam ad alia Sacramenta requiritur positivum consensum, instrumur ex Concil. Carth. 3. c. 34. ibi: *Vt ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de penitentibus agendum est.*

17. Confirmatio Conclusio ex Rituali Romano.

18. Quis sit cæcus & mutus & cæcus non sit in infantia baptizatus?

Idem.

19. Quodam ordinatur circa extremam Unctionem et Ritualibus mand.

Applicatio didi D. Augustini de Baptismo ad omnia Sacramenta.

confiteri ad salutem. Ideo cum alij pro eis respondant, ut impletur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non iidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter morietur: Aetatem habet, ipse pro se loquatur.

20.
Objectio
ex D. Aug.

Sed contra insurgit ex eodem S. Doctore: Parvulus validè baptizatur absque alieno consensu; ergo adultus sine proprio. Antecedens probatur ex Epistola 23. ad Bonifacium, ubi: *Ceterum cum infans non redeat in parentem, ut cum illo & in illo unus homo sit, sed omnino alter sit habens carnem suam & animam suam: anima quae peccaverit ipsa morietur. Nec illud te moveat, quod quidam non eâ fide ad Baptismum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem remittere vel recipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Rationem subnectit: Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, id est, Baptismus. Consequentia patet: quia in verbis citatis ex lib. 4. de Baptismo ita requiritur consensum aliorum ad Baptismum parvulorum, sicuti consensum proprium ad Baptismum adultorum: ergo vel nunquam valet Baptismus parvuli sine consensu alterius; vel aliquando valet Baptismus adulti sine consensu proprio.*

21.
Responsio.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem dico, August. solum velle (ut ex verbis liquet) non ita valere consensum alienum ad consecrationem (id est, ad valorem Baptismatis) adultorum, sicuti bene valet ad consecrationem parvulorum. Etenim quòd per consecrationem Aug. intelligat valorem Baptismi, & non gratiam, seltinè cognoscitur ex Epistola statim allegata; ubi: *Nam si Christiani Baptismi Sacramentum, quod unum atque idipsum est, etiam apud haereticos valet & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vite aeternae participationem non sufficiat, quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem dominicam characterem, corrigendum tamen admonet sanâ doctrinâ, non iterum similiter consecrandum &c.*

Confirmatur ex eodem.

Ceterùm ne quisque pergat contendere, pari passu D. August. requirere consensum alienum & proprium secundùm diversa subiecta, non ago pugnaciter; & tunc Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem dico, August. ubi non excludere omnem consensum aliorum, sed consensum dumtaxat parentum in effectum gratia; cum quo stat consensus in ip-

sum Sacramentum, ut ostendimus Sect. praeced. conclus. 5.

Quin concessio, ut omnes debent concedere, Baptismum parvulorum valere sine ullo consensu parentum, imò parentibus reclamantibus (licet in Ecclesia colit instar Martyrum Innocentes pro Christo occisos & in sanguine suo baptizatos contradicentibus parentibus) adhuc (inquam) minime sequitur; eorum Baptismus valet, juxta mentem D. Aug. absque cujuscumque alterius consensu: *Offeruntur quippe (inquit eadem Epistola) parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namq; offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum sancta atque individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater Ecclesia, quae in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit. Quid illustrius posset desiderari?*

22.
Valet Baptismus parvulorum sine consensu parentum, non tamen sine omni consensu.

S. August.

Unde si à me quaeritur, quomodo intelligendus sit D. August. quando alibi saepe videtur requirere consensum parentum; Respondeo absque mora & dubitatione, vel ad licitum Baptismum, vel ad melius esse; sicuti etiam multis in locis exigit fidem parentum; & tamen certum est apud omnes, sine ea, cum sola fide Ecclesia, Baptismus esse validum & fructuosum.

23.
Augustinus dum requirit consensum parentum ad Baptismum parvulorum, intelligendus est ad licitum, vel ad melius esse.

Noli ergo cogitare, noli dicere, secundùm D. August. ad valorem Baptismi adultorum non requiri proprium consensum; vel dicito, ne alienum quidem esse necessarium, quia Ecclesia (ut satis manifestum est ex constitutionibus allegatis) minime offert adultos non consentientes, sed prohibet eos baptizari non tantùm hic & nunc, sicut etiam prohibet Baptismum parvulorum sine consensu parentum, sed semper & pro semper. Neque mirabile putes parvulos justificari sine proprio assensu; quia nulli Deus excludat remedium ad salutem, ait Scot. supra: excluderet autem, si exigeret consensum proprium ab his, qui illius incapaces sunt.

24.
Cur Florentinum tradens generalem doctrinam eorum, quae necessaria sunt ad valorem & perfectionem omnium Sacramentorum, non faciat mentionem intentionis suscipientis, sicuti ministrantis? quia videlicet in Baptismo parvulorum, Eucharistia & alijs, quae ab ipsis validè suscipiuntur, non requiritur. Neque hinc bene inferitur: Ergo Baptismus suscipientis.

Vides jam quare Concil. Florentinum in decreto Unionis, tradens generalem doctrinam eorum, quae necessaria sunt ad valorem & perfectionem omnium Sacramentorum, non faciat mentionem intentionis suscipientis, sicuti ministrantis? quia videlicet in Baptismo parvulorum, Eucharistia & alijs, quae ab ipsis validè suscipiuntur, non requiritur.

Neque hinc bene inferitur: Ergo Baptismus suscipientis.

Baptismus
semper ha-
bet easdem
partes es-
senciales

mus non semper habet easdem partes essen-
tiales; nam, ut omittam intentionem mi-
nistri non esse partem essentialem, ut di-
ctum est Sect. 3. conclus. 1. minus inten-
tionem suscipientis; semper equidem re-
quiritur materia, forma, intentio ministri
& consensus suscipientis, si est, vel fuit
capax illius. Quem etiam, si allubescit, in-
telligi ex parte materiae; quippe materia
proxima est ablutio hominis vivi & volen-
tis, si habeat propriam voluntatem, aliàs
non erit materia debita.

Enimverò si in nullo casu ad valorem
Baptismi adultorum requiritur proprius
consensus, actualis vel habitualis, explici-
tus vel implicitus; non possum satis mira-
ri, proprium consensum in omni profus
casu necessarium esse ad eorum justificati-
onem, testimonium perhibente Concil. Tri-
dent. dum inter dispositiones impij ad ju-
stitiam sess. 6. c. 5. enumerat Fidem, Spem,
Charitatem, Pœnitentiam, et denique pro-
positum suscipiendi Baptismum.

Trident.

25.
Non sem-
per est ne-
cessarium
ad validam
Sacramen-
torum sus-
ceptionem
propositum
actuale &
explicitum,

Dubitas autem, an semper sit necessa-
rium propositum actuale & explicitum?
Consule praxim Ecclesiae, quæ (ut liqui-
dò patet ex Concilio Carthag. & Arausi-
cano, ex c. Maiores & Rit. Romano) bap-
tizat, absolvit & inungit dormientes,
amentes, furiosos & similes non compotes
rationis, si antequam dormirent aut in
amentiam &c. incidere, desiderium Sa-
cramenti ostenderint: constat verò apud
omnes, in istis non inveniri nisi consensum
habitualem. Similiter administrat Extre-
mam Unctionem illis, qui oppressi infirmi-
tate verisimiliter perissent (ut loquitur
Rit. supra) quæ petitio verisimilis non po-
test esse, nisi desiderium aliquod implici-
tum, quod includitur in vita Christianè &
Catholicè transacta per frequentationem
Sacramentorum &c. Quidni includeretur?
Sanè qui catholicè vivit, vult implicitè sibi
administrari communia Sacramenta, tam
necessaria, quàm valde utilia: administrari,
inquam, pro illo articulo, in quo magis ex-
plicita voluntas est impossibilis; quippe qui
vult finem, beatitudinem scilicet æternam
(quæ est finis vitæ Catholicæ) vult etiam
media, quæ omnes boni Catholici ordina-
riè ad finem illum acquirendum solent ad-
hibere.

26.
Ut elegan-
ter tradit
Augustinus
de Catechu-
meno sensu
destitit
to.

Eleganter & appositè D. Aug. lib. 1. de
Adult. conjugijs cap. 26. Catechumenis (in-
quit) in huius vitæ ultimo constituti, si morbo
suo casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc
vivant, perire sibi tamen Baptismum vel ad in-
terrogata respondere non possunt; profit eis quo-
rum in fide Christiana iam nota voluntas est, ut

eo modo baptizentur, quo modo baptizantur
infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.
Ergo secundum D. August. fides Christiana,
in qua instruebantur Catechumeni,
erat voluntas implicita Baptismi sufficiens
ad ejus valorem & effectum, esto Baptis-
mi suscipiendi magis expressum desiderium
nunquam Catechumeni habuissent: siqui-
dem comparat illos infantibus, quorum
voluntas adhuc nulla patuit.

Neque timendum est, ne fortè contra-
rium gerant voluntatis arbitrium; nam (ut
loquitur August. supra) Non solum incre-
dibile est, nec in fine vitæ huius baptizari Cate-
chumenum velle; verum etiam voluntas eius
incerta est, multò satius est volenti dare, quàm
volenti negare; ubi velit, an nolit, sic non ap-
paret: ut tamen credibilis sit, eum si possit,
velle se potius fuisse dictum ea Sacramenta
percipere, sine quibus iam credidit non se opor-
tere de corpore exire.

Quam doctrinam ibidem c. 28. exten-
dit ad Catechumenos, qui virulentum conu-
gijs copulati, veriment adulterina consortia, cum
salvos (inquit) corpore in his permanentes non
admitamus ad Baptismum; tamen si desperati
& intra se penitentes iacuerint, nec pro se re-
spondere poterint, baptizandos puto, ut etiam
hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis
abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adul-
terina carnis illecebrâ usque ad Baptismum sta-
tuerant detineri? Et post pauca: Quæ au-
tem Baptismatis, eadem Reconciliationis est cau-
sa, si forte penitentem finiende vitæ periculum
preoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita
sine artha suæ pacis exire velle, debet mater
Ecclesia.

Hanc æquiparationem miratur Dicastil-
lo disp. 3. n. 320. qui cum alijs multis re-
quirat magis explicitam voluntatem ad Sa-
cramentum Pœnitentiæ. Verumtamen si
est sententia D. August. (ut ipse fatetur) reconcili-
tationem inter-
Baptisma &
reconcili-
tationem inter-
Dicastil-
lo.
27.
Immensè
æquipar-
ationem
Aug. inter
Baptisma &
reconcili-
tationem inter-
Dicastil-
lo.
28.
Quæ autem Baptismatis & Pœnitentiæ,
similis

Qua Bap-
tismatis &
reconcilia-
tionis, simi-
lis est causa
Confirmati-
onis, Eu-
charistiae &
Extremae
Unctionis.

similis est causa Confirmationis, Eucharistiae, & Extremae Unctionis. Enimvero qui Catholicè vivit (ut superius annotavi) vult implicite sibi administrari communia Sacramenta, tum necessaria, tum valde utilia; administrari, inquam, pro illo articulo, in quo magis explicita voluntas est impossibilis: quippe qui vult finem, beatitudinem scilicet aeternam (quae est finis vitae Catholicae) vult etiam media, quae omnes boni Catholici ad illum finem acquirendum ordinariè solent adhibere. Igitur haec implicita voluntas sufficit, ut illa Sacramenta validè & licitè administrantur, nisi aliquid aliud obstat, v. g. carentia dispositionis necessariae ad effectum gratiae, puta cum quis in ipso actu peccati ita subito destituitur sensibus & usu rationis, ut humanitè impossibile sit eum doluisse vel dolere de peccato.

Contrarium praesumendum est juxta August. supra, quando aliquandiu post peccatum usus est ratione; quamvis & tunc nullum habeamus fundamentum positivum, & saepe graves sint conjecturae in oppositum: equidem, quia fortè sunt attriti, juventur quantum possunt.

29. Affirmat Dicastillo contritionem vel attritionem esse implicitam petitionem Baptismi.

Peter aliquis, an ergo vera contritio vel attritio sit implicita voluntas seu petitio Baptismi; & per consequens an Judaeus vel Gentilis ita dispositus, in necessitate possit & debeat baptizari? Affirmat Dicastillo num. 317. & 326. Ratio: quia attritio & contritio includunt propositum servandi omnia mandata divina, inter quae unum est de suscipiendo Baptismo.

Negat Lugogo, qui requirit voluntatem magis specialem.

Lugo disp. 9. n. 129. putat requiri voluntatem magis specialem. Fundamentum accipit ex Suario disput. 14. sect. 2. post medium; quia Baptismus est janua ad Ecclesiam, & in ea fit prima solennis professio fidei, & legis Christi. Quam rationem (inquit) possumus amplius explicare, & simul ostendere differentiam à voluntate illa generali, quam aliquis habet eo ipso quod est Catholicus, & diximus sufficere ad suscipiendam postea validè Extremam Unctionem, & cum fructu Eucharistiam. Nam ille volendo in religione Catholica vivere & mori, vult more Catholicorum gubernari, & eorum ritus recipere. Qui autem Judaeus erat, profitebatur quidem Judaismum, & juxta illius regulas & ritus vivere ac gubernari volebat, quia illam religionem jam examinaverat, & securè se illius legibus committebat: nihil autem cogitaverat de lege Evangelica; & ideo non proponebat aut volebat uti ejus ritibus

& legibus; quamvis in communi propositum habebat servandi omnia praeccepta Dei, & per consequens implicitum suscipiendi Baptismum Christi, si esset praecceptum illius: hoc tamen debebat intelligi, praevio debito examine de veritate Evangelij, sine quo examine non poterat obligari ad recipiendum.

Confirmatur à simili: Sic Gentilis, qui diceret: Ego volo audire Catechismum; & postea si convictus fuero, & placuerit mihi fides Christiana, baptizabor; hic (inquam) non censetur Catechumenus, nec baptizaretur ex vi solius hujus voluntatis, quia nondum habuit voluntatem absolutam. Valeret tamen baptismus, si aliquis religionem Christianam corde amplexus esset, licet nihil de Baptismo aut ejus necessitate audivisset; quia voluit absolutè hanc religionem amplecti, ejusque ritibus, quicumque illi essent, gubernari. Haec ille; sed refutantur à Dicastillone n. 323. & sequentibus.

Meo judicio res ista parva est considerationis in ordine ad praxim. Quotus enim quisque invenietur hodie Judaeus vel Gentilis, de quo possum prudenter praesumere, ipsum habere veram attritionem vel contritionem? Certè illa praesumptio adhuc satis infundata est in Catechumeno aut Catholico peccatore, qui subito incidit in amentiam aut lethalem infirmitatem; & in his dumtaxat, ab August. supra, permittitur. Ergo saltem illicitè talis Judaeus vel Gentilis baptizabitur. An autem validè, ex hypothesi quod verè attritus sit, malo affirmare cum Dicastillone, quam negare cum Lugone.

Supponit verè attritionem in Judaeo, magis placet sententia Dicastilloni.

Ad rationem autem ipsius Respondeo, hujusmodi Judaeum vel Gentilem verè attritum, velle profiteri omnem religionem & fidem, adeoque ritibus & legibus illius gubernari, ad quam ex jure divino in actu primo obligatur, quamvis propter ignorantiam invincibilem hinc & nunc excusetur à peccato; sicuti eo ipso censetur velle observare omnia praeccepta naturalia, etiam illa, quae propter ignorantiam invincibilem de facto transgreditur sine formali peccato. Ingreditur autem Ecclesiam, & solemniter profiteatur fidem, quemadmodum infantes, ut supra dicit August. quorum voluntas nulla adhuc patuit.

Ad simile dico, dissimilitudinem esse, quod attritio, etiam illius, qui nunquam aliquid audivit de fide Catholica, sit absoluta voluntas profitendi veram fidem, sive placeat, sive displiceat. At verò

E c volitio.

30.

31.

volitionem conditionatam, quam ipse ponit: *Si convictus fuero & placuerit mihi fides Christiana, baptizabor*; quis ambigat esse positivam infidelitatem? Ac si diceret: *Credam & baptizabor, si convictus fuero & placuerit*: Ubi ergo obligatio fidei & Baptismi? ubi auctoritas & revelatio divina? Profecto Gentilis ille non est paratus credere auctoritati & revelationi divinæ; sed assentiri rationibus & argumentis adducendis; non est paratus suscipere Baptismum, ut impleat voluntatem divinam, sed ut satisfaciatur suo beneplacito. Quomodo ergo vi solius hujus voluntatis baptizaretur?

Liceat hinc mihi usurpare illud Apostoli 2. Cor. 6. vers. 14. 15. & 16. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infidelis? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, per contritionem inhabitantis; per attritionem verò moventis, quæ Judæus atque Gentilis adjutus, viam sibi ad justitiam parat in Sacramento Baptismi impetrandam.*

Profecto non apparet, quid ampliùs habeat voluntas suscipiendi ritus Catholicos, ut eo ipso censeatur in ea includi voluntas suscipiendi Confirmationem, Eucharistiam & Extremam Unctionem; præsertim suppositâ earum ignorantia, quàm voluntas implendi omnia præcepta, ut eo ipso censeatur in hac adesse voluntas suscipiendi Baptismum; cum non minus computetur Baptismus inter præcepta, quàm Eucharistia, Extrema Unctio aut Confirmatio inter ritus Catholicos.

32. Petes iterum: quid si suscipiens ore dissentiat, & corde consentiat? Respondeo: valent Baptismus, Confirmatio, Extrema Unctio & Ordo, si ministrans, cogitans fortè internum consensum adesse, velit facere totum quod potest, sicuti valerent cum falsa opinione iterationis, & cum ficto dissensu ministri. Ratio in promptu est: quia cum illa falsa opinione & ficto dissensu sive suscipientis, sive ministrantis, stat tota essentia istorum Sacramentorum, ut consideranti facile patet.

An autem similiter validè absolveretur pœnitens, qui haberet meram internam voluntatem consistendi, libentiùs discò, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio: hoc scio, actus pœnitentis esse quasi materiam hujus Sacramenti; inter illos autem secundum locum obtinet Confessio oris, quæ est accusatio sui ipsius, seu

narratio peccatorum directâ ad Sacerdotem animo obtinendi absolutionem. Et quomodo possunt narrari peccata homini sine signo sensibili? Quomodo verò narratio potest esse directâ ad Sacerdotem, aut Sacerdos ex illa moveri tanquam judex ad instantiam partis implorantis ejus officium, ad dandam absolutionem, nisi saltem sub dubio ab ipso cognoscatur? Certè absolutio judicis non determinat materiam sibi omninò incognitam.

Audio Averlam de Pœnitentiâ quæst. 10. sect. 18. in fine sic argumentantem: Si quis solitarius existens, repentino casu oppressus; & ex desiderio suæ salutis confessionem inclamet, & alius fortè pertransiens eum audiat, idque nuntiet Sacerdoti, poterit sanè absolvi; ergo etiam in casu, quo nullus audire vel nuntiare poterit, si dubitari possit illum edidisse aliquod signum (locus dubitandi aderit, quando cumque non constat oppositum) impertienda ei erit sub conditione absolutio. Quando enim non potest haberi materia certa Sacramenti, licitum est in necessitate uti dubiâ: Confessionem autem illam esse dubiam; probat; quia si moribundus eo modo, quo potuit, confessionem petuit, jam adhibuit ex parte suâ materiam necessariam se aliquo modo accusando, & officium judicis implorando, & ad hoc sacrum tribunal confugiendo; & ideo cum hoc dubio materia poterit adhiberi absolutioni: forma. Ita hic Auctor.

Ejusdem videtur fuisse sententiæ Marchantius, qui prima parte Tribunalis sacramentalis Tract. 4. quæst. 3. dub. 7. in favorem animarum docet, quod, quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum Pœnitentiæ, aut desideratæ sive postulatæ confessionis, nihilominus possit sub conditione absolvi, sive absolvendum esse. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso nullum mihi signum appareat, quod materiam Confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde certò constet peccatorem sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare; imò nec appareat eum ratione utri potest tamen fieri, ut non tantùm intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus aut alij in corpore motus, qui etsi doloris corporalis, aut naturæ patientis sint ordinariè signa; nihilominus ab ipso peccatore quandoque ordinantur ut internæ Pœni-

32. Si suscipiens ore dissentiat, & corde consentiat, valent Baptismus, Confirmatio &c. si ministrans hoc cogitans, velit facere, quod potest.

An similiter validè absolveretur pœnitens, qui haberet meram internam voluntatem consistendi.

33. Raphael Averlani in impetrandam absolutionem, qui non edidit signum, ad petendam confessionem, dum modo non constet contrariè.

Ejusdem sententiæ Tract. 4. quæst. 3. dub. 7. in favorem animarum docet, quod, quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum Pœnitentiæ, aut desideratæ sive postulatæ confessionis, nihilominus possit sub conditione absolvi, sive absolvendum esse.

Poenitentiae nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneri & charitati in hac extrema necessitate satisfacio, & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui subesse posset, tollit; & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi ministris Ecclesiae, quae (ut supra dicebat D. Augustinus) Nullum ex hac vita sine artha suae pacis exire velle debet. Haec tamen Marchantius.

Porro quid dicendum foret, si nulla signa per se sensibilia edidisset, non determinat; nec ego hic determino, quia est alterius loci: sed progredior ad tertiam petitionem, quae est talis:

34. In ministrante potius requiritur intentio, quam in suscipiente.

Quare in ministrante potius requiritur intentio virtualis, quam in suscipiente? Respondeo: quia minister operatur nomine Christi, hoc est, voluntas eius est principium physicum effectivum humano modo actionis conferendi Sacramentum, à Christo institutum; suscipiens autem se habet merè passivè, adeoque solum debet esse subiectum capax, quod in adultis abundè fit per intentionem habitualem, ratione cuius dicuntur moraliter velle illud Sacramentum. Ceteroquin si par, & pari ratione in suscipiente & ministrante requireretur intentio, non possent ulla Sacramenta conferri parvulis intentionis incapacibus: sicut parvuli defectu intentionis nullum possunt Sacramentum conficere sive ministrare.

35. Utrum valide suscipiatur Sacramentum, qui se sponte inebriat, et credens se ebrium ordinandum &c.

Equidem relinquatur parvus scrupulus; quæro, inquam, si quis credens se ebrium baptizandum aut ordinandum, sponte se inebriaret, an validè susciperet Sacramentum? Pro parte affirmativa ratio esse potest, quia prævidens in ebrietate homicidium, censetur moraliter illud velle. In contrarium allegatur, quia cum huiusmodi voluntate interpretativa sive indirecta, & in causa, consistit expressa voluntas non suscipiendi Sacramentum: ergo talis non potest ullo modo dici voluisse suscipere Sacramentum, nisi id alio actu ante ebrietatem aliquando desideravit. Ita Regius quæst. 64. art. 8. num. 106. declarans in simili: quia (inquit) liberè aliquid faciens, ex quo videt aliud per accidens secuturum, non censetur velle hunc effectum, nisi teneatur eum vitare; v. g. mulier cum moderato ornatu prodiens ob justam causam in publicum, etsi sciat ex suo aspectu in genere aliquem excitandum ad peccatum, nullo tamen modo censetur huius peccatum velle. Quod si tamen ea essent circum-

stantiae, ob quas teneretur vitare publicum, ne talis ejus occasione peccaret, atque hoc ipsa sciret; egrediens in publicum censetur ejus peccatum velle.

Quare etsi huiusmodi externa susceptio Sacramenti possit tali dici voluntaria in causa, quatenus continet quamdam irreverentiam erga Sacramentum, quam ipse tenebatur vitare; non tamen quatenus est quaedam suscipientis consecratio, & consequenter quatenus habet rationem Sacramenti, quia ut sic vitari non debuit, sed potius suscipi, non quidem in tali statu, sed à legitime disposito; nec talis potest dici voluisse verè consecrari, sive Sacramentum suscipere (cum potuerit absolute habere voluntatem contrariam) nisi id expressè aliquà voluntate intenderit: quo casu validè Sacramentum susciperet, quia hæc voluntas habitualiter permaneret. Hucusque Coninck. Quem sequitur Dicastillo supra numero 329. utens eodem simili & ipsdem ferè verbis: simili (inquam) mulieris in publicum prodeuntis.

Reglum sequitur Dicastillo ut eodem simili.

Simile profectò muliebre, varium utique & inconstans: quia multi viri docti censent, in utroque casu peccatum esse volitum, scilicet permissivè; potuit namque mulier impedire illud, & non impedivit. Quæris fortasse, quare ergo magis peccet hæc, quam ibi? Respondent facillimè, quia una permissio est prohibita per legem charitatis, altera minimè.

36. Ad quod respondetur.

Præterea sic arguuntur: esto requiratur præceptum omittendi, ut effectus per accidens secutus ex mea actione sit voluntarius in causa; nonne prohibita est ebrietas? nonne prohibita est susceptio Baptismi in ebrietate? Cur ergo pravisa minus erit voluntaria in causa, quam v. g. rebaptizatio? Respondes, quia rebaptizatio illicita est etiam extra ebrietatem; baptizatio autem totam suam malitiam accepit ab ipsa ebrietate, per quam indisponitur suscipiens ad effectum; ac proinde baptizatio quatenus habet rationem Sacramenti, non est prohibita, & per consequens non est voluntaria in causa, sed sola baptizatio in malo statu.

Rectè respondisti. Sed interrogo adhuc unum verbum: Baptizatio in malo statu voluntaria in causa, quare non valet? Nonne valet baptizatio in malo statu in se voluntaria? Cur ergo etiam non valet voluntaria in sua causa? Igitur aliunde probandum est Baptismum prævisum & susceptum in ebrietate seu malo

37.

statu non valere, quàm ex defectu voluntarij in causa.

Probatur (inquis) ex cap. *Maiores* de Baptismo, in quo Innoc. III. ad validum Baptismum requirit ante somnum & amentiam, per consequens etiam ante ebrietatem, propositum baptizandi, ibi: *Dormientes autem & amentes &c. Secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.*

38. Nec obstat, quòd Ecclesia ad Sacramentum Extremæ Unctionis non requirat nisi verisimilem petitionem (ut supra vidimus) loquitur enim de petitione expressa; supponit namque voluntatem implicitam in vita Catholicè acta; jam autem illa inebriatio neque est petitio expressa, neque implicita Sacramenti, ut per se patet. Ergo nisi præcesserit alia explicita vel implicita voluntas, invalidum erit tale Sacramentum defectu consensûs suscipientis.

39. Non gravetur Lector, si adhuc unam proposituro questionem. Homini dormienti legitime disposito casu vel scienter administratur sacra hostia. Item homo vigilans legitime dispositus casu comedit hostiam consecratam, nunquid recipiet fructum Sacramenti? Ratio negandi est, quòd homo Christianus ex vi generalis voluntatis, quæ includitur in vita Catholica, vult quidem sumere Sacramenta, sed more Christiano; quando scilicet debito tempore Christianis dari solent. Sicut etiam Ordo esset invalidus, qui homini dormienti daretur; vel ei, qui post usum rationis in amentiam incidit; quia nimirum voluntas generalis accipiendi Sacramenta solum se extendit ad Sacramenta, quæ communiter Christianis dari solent tanquam remedia communia.

40. Sed dicet aliquis: Etsi non habeat talem voluntatem absolutam, cur non conditionatam, ut casu quo tale quid fieret, proficit ei modo meliori quo potest? Deinde non est mos Christianis, dare Eucharistiam infirmis delirantibus cum periculo irreverentiæ, & tamen fructificabit si præter morem detur. Tertio Catechumenus, qui ante somnum Baptismum petijt, valide in somno baptizatur ex c. *Maiores*, & tamen non est mos Christianis baptizare dormientes, imò Ecclesia in Rituali Romano expressè prohibet, ut supra vidimus. Adde ignaros sumere verum Sacramentum; ergo accipiunt gratiam: secus est in alijs Sacramentis, ad quorum confectionem (nam fiunt dum applicantur) debet adesse voluntas saltem habitualis adulti; aliud videtur, dum jam confectum solum est applicandum.

Contra: ultima obiectio petit principium. Enimverò quòd alia Sacramenta fiant dum applicantur, solum probat majorem intentionem requiri in ministro; ipse quippe est, qui facit applicando, suscipiens autem non magis concurret ad collationem. v.g. Baptismi, quàm communicans ad collationem Eucharistiæ, aut etiam ad accipiendum fructum Eucharistiæ: sicut enim Baptismus non potest esse validus, nisi subjectum sit homo vivens non baptizatus &c. ita etiam Eucharistia non fructificat, nisi in homine viatore &c. Quæstio itaque manet, cur consensus habitualis sit necessaria dispositio magis ex parte subjecti Baptismi, quàm ex parte subjecti Eucharistiæ? De qua redibit sermo in materia de Eucharistia.

Videamus modò, si alijs objectionibus possit satisfieri. Ad primam itaque, tamen ante somnum habuisset homo voluntatem accipiendi fructum, etiam ex comestione casuali Eucharistiæ, quæ in somno contingeret, videri adhuc alicui posset, non accepturum effectum Sacramenti; quia non sufficit voluntas illa, ut comestio casualis postea secuta sit voluntaria vel saltem in causa. Patet: quia voluntarium est, quod procedit à voluntate; illa autem comestio nullo modo procedit ab illa voluntate præterita.

Mihi tamen verius apparet, quòd posset tunc habere effectum ex vi illius voluntatis præcedentis, habitualiter permanentis; licet enim in illis circumstantijs susceptio Sacramenti adhuc non sit voluntaria per modum effectûs; est tamen voluntaria per modum objecti, hoc est, volita, si non absolute & in se, saltem in suo effectû, imò & in se, casu quo ita applicaretur: quod etiam in alijs Sacramentis, quæ pendent ab intentione accipientis quoad substantiam suam, manifestè cognoscitur sufficere. Valet quippe Baptismus collatus ab illo, qui nullo modo cognovit desiderium suscipientis; vel si sciat, non movetur ab illo.

Et esto moveatur, neque tunc ministratio Sacramenti vel Sacramentum erit voluntarium suscipienti per modum effectûs, sed solum volitum per modum objecti; quia ipse non efficit Sacramentum, sed suscipit etiam validè in amentia vel somno, quando nulla adest voluntas, quæ physice possit influere in illam susceptio-nem, minùs in ipsum Sacramentum, quod per modum effectûs pendet à sola voluntate ministri; quæ etiam ideò (ut supra diximus) ad minus debet esse virtualis & quia Sacramentum non debet esse voluntarium

41. Responsio ad ultimam Objectionem.

42. Responsio ad ultimam Objectionem.

Vultis rite accipiendum esse Sacramentum, quod est voluntarium, si non absolute & in se, saltem in suo effectû, imò & in se, casu quo ita applicaretur: quod etiam in alijs Sacramentis, quæ pendent ab intentione accipientis quoad substantiam suam, manifestè cognoscitur sufficere. Valet quippe Baptismus collatus ab illo, qui nullo modo cognovit desiderium suscipientis; vel si sciat, non movetur ab illo.

rarium suscipienti per modum effectus, sed solum per modum objecti, sive volutum; hinc in ipso sufficit voluntas præterita non retractata, hoc est, habitualis.

Cardo igitur controversiæ est, an in generali voluntate Catholicè vivendi & moriendi subintelligatur voluntas accipiendi Sacramentum & fructum ejus, quotiescumque applicabitur sive licitè sive illicitè? Et certè qui affirmaret, difficulter convinceretur: enim verò apparet unumquemque sic esse constitutum, ut si interrogaretur, an ex Sacramento casuali velit habere fructum; similiter an desideret accipere Sacramentum, quod illicitè ex parte ministri confertur, responderet utique, omnimodè se id optare; nam hoc meliùs est & ipsi & Sacramento, quod aliàs frustraretur suo effectu; præsertim, quando ex Sacramento suscipiens non contrahit aliquam specialem juris positivi obligationem.

Quod ultimum addo, propter Sacramenta Ordinis & Matrimonij, ad quæ nullo modo se extendit illa generalis voluntas ob statûs mutationem, ac gravissima onera ipsis annexa. Unde non rectè argumentatur quidam à Sacramento Ordinis ad Eucharistiam, utpote ex cujus fructuosa sumptione nullum omninò sequitur incommodum, & quæ in utilitatem solius recipientis confertur; cum tamen Ordinatio magis respiciat utilitatem Ecclesiæ seu aliorum, quàm propriam ipsius ordinati. Ideoque communis sententia requirit in suscipiente Ordinem & Matrimonium ad minus expressam voluntatem præteritam non retractatam.

Pergo ad secundam objectionem, quæ videtur peremptoria, nisi fortè disparitas sit, quòd Ecclesia solet Eucharistiam quoad substantiam dare infirmo deliranti; quamvis non cum modo irreverentiæ vel per ministrum indignum; & tamen quis dubitet, quin accipiet fructum à quocumque ministro præbeatur? Consentit ergo infirmus per generalem voluntatem in omnia Sacramenta, quæ solent similibus administrari, non curando de modo, quo licitè vel illicitè per accidens ministrantur. Jam autem Ecclesia nullatenùs consuevit dare hostiam consecratam instar panis communis, aut eam extra necessitatem ori dormientis immittere.

Ad tertiam objectionem respondetur: quid mirum si valeat ille Baptismus, quem præcessit explicita petitio? Porro in casu proposito sumptionem Eucharistiæ nulla præcessit explicita voluntas sive accipiendi Eucharistiam, sive percipiendi fructum ejus.

Sed nunquid (interrogat quispiam) ad valorem Baptismatis præter statum Catechumeni requiritur aliud expressum propositum baptizandi? Possit alicui videri quòd sic, propter obligationes jure divino consequentes, observantiam scilicet universæ legis Christi, ad quam baptizatus cogendus est. Et confirmatur ex verbis Innoc. III. cap. *Maiores* de Baptis. *Secus autem, si prius Catechumeni existissent, & habuissent propositum baptizandi.* Interim communis sententia propter obligationem juris divini suscipiendi Baptismum putat sufficere statum Catechumeni absque alio expresso proposito baptizandi. Ad verba Innocentij respondet, intelligenda esse de proposito per se connexo & quasi incluso isti statui, qui est quædam dispositio seu via ad Baptismum suscipiendum.

Et secundùm hanc sententiam existit imò (salvo meliori) Catechumenum legitime dispositum absque alio expresso proposito baptizandi validè & fructuosè baptizari in somno vel amentia (nisi ante somnum vel amentiam habuisset voluntatem contrariam) etiam extra necessitatis articulum, in quo equidem solo Ecclesia talem consuevit baptizare. Ratio mea est: quia tamen simpliciter & absolute nolit suscipere Baptismum contra ordinationem Dei vel Ecclesiæ, conditionatè tamen vult, ut valeat potius, quàm pereat, si per accidens aliter conferatur.

Consimiliter videtur posse dici quemlibet Christianum simpliciter quidem & absolute nolle ut sibi administrantur Sacramenta contra modum & ordinem debitum ex lege Dei vel Ecclesiæ; conditionatè tamen velle, ut si per accidens casu vel ex malitia aliter conferantur, & sint ex illis, quæ communiter omnibus ministrantur; ut, inquam; potius valeant & fructificent, quàm pereant, secundùm jura in fine præcedentis Sectionis citata, quæ in ambiguis orationibus id docent accipiendum, quòd res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat. Cum ergo hîc saltem dubia sit intentio suscipientis, commodissimum est id accipi, quo Sacramentum, de quo agitur, magis valeat, quàm pereat.

Accedit probabile esse, hominem eò ipso, quò justus est, sufficienter acceptare mortem à Tyranno in somno illatam, ut sit & habeatur pro vero Martyre, cum tamen Martyrium definiatur: voluntaria perpessio mortis in odium Christi illatæ. Quidni ergo vita Catholica præcisè quæ talis, sit voluntaria acceptio Eucharistiæ, quæ dormienti, amenti vel ignoranti ministratur?

43. Difficulter convinceretur, qui assereret in generali voluntate Catholicè vivendi & moriendi, subintelligi voluntatem accipiendi Sacramentum, quotiescumque applicabitur.

Maximè, si ex susceptione non sequatur specialis obligatio juris positivi.

Non rectè argumentatur quidam à Sacramento Ordinis ad Eucharistiam.

44. Responso ad secundam objectionem.

45. Responso ad tertiam objectionem.

Catechumenus, validè & fructuosè baptizatur in somno, etiam extra articulum necessitatis.

An idem dici possit de alijs Sacramentis respectu Christiani.

nistratur? Elige quod vis, propter tuum sentire nihil plus aut minus recipies.

46. Restat, ut aliquid dicamus de Sacramento Matrimonij: ad quod imprimis requiritur consensus aliquis externus tam suscipientis, quam ministrantis, si non in ipsum Sacramentum, saltem in obligationem. *Causa efficiens Matrimonij* (inquit Florent. in decreto Unionis) regulariter est *mutuus consensus per verba de presenti expressus*. Cæteroquin, quomodo esset verum Sacramentum & verus contractus, si solo consensu interno posset perfici? Nam & Sacramentum & contractus ex natura sua sunt actiones sensibiles.

Secundò non valet consensus coactus, validus equidem in alijs omnibus Sacramentis, ut communiter DD. colligunt ex c. *Maiores*, ubi id expressè decernitur de Sacramento Baptismi hisce verbis: *Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum alij non absurde distinguunt; quòd is, qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis... characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. In quo casu (prosequitur Pontifex) debet intelligi decretum Concilij Toletani 4. c. 56. & habetur c. de Judæis dist. 45. ubi dicitur: quòd qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sishbuti, quia iam constat eos Sacramentis divinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & christiæ unitis esse, & corporis Domini exstitisse participes, oportet etiam ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur.*

Et quamvis fortassis hæc verba explicari possent de judicio dumtaxat Ecclesiæ, seu foro externo (ut supra insinuavi) tamen communis sensus DD. qui in his rebus, quæ pendent à voluntate Dei, maxime valet, semper intellexit etiam de judicio Dei, seu foro interno. Potro ab hac communi regula excipitur Matrimonium ob speciales rationes, & jura contrarium statuentia, proprio loco alleganda.

48. Terriò uterque conjux est minister Sacramenti Matrimonij, & in utroque requiritur intentio saltem virtualis, veluti in ministris aliorum Sacramentorum, quæ fit causa exprimendi consensum. Quia verò conjuges non solum sunt ministri, sed etiam recipiunt Sacramentum, dubitari potest, an prout recipiunt, sufficiat illis voluntas habitualis. Ad quod

Respondeo: potest perfici Matrimo-

nium tam in ratione Sacramenti, quam in ratione contractus, quando conjuges vel dormiunt, vel nihil cogitant de Matrimonio. v. g. quando contrahunt per procuratores; ergo tunc conjuges recipiunt illud Sacramentum absque aliqua actuali voluntate recipiendi, nec solum recipiunt, sed etiam ministrant.

Si inferas: ergo cum sola voluntate habituali. Respondent aliqui negando cōsequentiā: nam manet voluntas præterita in aliquo suo effectu, id est, voluntas præterita est causa, quare hinc & nunc Sacramentum perficitur: non enim procurator confentiret, nisi antea principalis consensisset, & valor consensus procuratoris totaliter pendet à voluntate principalis non revocata.

Idem serè cernitur in Matrimonio inito sub conditione de futuro, quod conditione impletâ perficitur sine novo consensu conjugum: quamquam enim voluntas præterita non sit causa, quare conditio impletur; equidem est causa, quòd impletâ conditione consensus conditionalis transeat in absolutum, five quòd conditio impleta faciat transire consensum conditionaliter in absolutum; adeoque bene dicitur consensus conjugum præteritus virtualiter permanere in illa conditione. Si autem quispiam malit illam intentionem vocare habitualem, per me licet, dummodò concedat illam sufficere in hoc contractu Sacramentali, sicuti sufficit ad valorem aliorum contractuum.

Hucusque de necessitate consensus, non in externam actionem tantum, sed in ipsum Sacramentum, hoc est (ut explicat Scotus 4. dist. 4. q. 4. n. 4.) in actionem externam eo modo, quo illam intendit facere Ecclesia.

Sed nunquid valet consensus illicitus? *Multa fieri prohibentur* (scribit Innoc. III. Pisano Archiepiscopo) *quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*. Et D. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani Donatistæ c. 35. *Cum vobis* (inquit) *fuisset manifestatum, nec illum qui ministravit, nec illum qui accepit Baptismum, puram habuisse conscientiam, deinde baptizandum esse censueris? Nequaquam hoc diciturus, nequaquam salvus es; Baptismi ergo puritas, id est validitas, à puritate vel immunitate conscientie siue dantis, siue accipientis, omnino distincta est.*

Si autem rursus à me queritur: Et quis consentit illicitè? Respondeo Primò:

CON-

CONCLUSIO III.

Ad licitam receptionem Sacramenti requiritur dispositio ad effectum gratiæ, aliàs peccatur sacrilegio mortali, nisi necessitas excuset.

51. **Q**uam dispositio requiratur ad effectum gratiæ, sat dictum arbitror sect. 5. per totam. Intellego autem per effectum gratiæ, vel saltem minimam gratiam habituram. Quis enim, amabo, condemnat aliquem peccati mortalis, quia defectu perfectissimæ dispositionis non accipit perfectissimam gratiam? Aut quis sine temeritate affirmare potest, dispositum alioquin ad effectum primum, ex eo præcisè graviter peccare, quia ponit obicem ad effectum secundarium, v. g. ad remissionem peccati venialis per Baptismum, & consequenter ad remissionem pœnæ correspondentis? Idem est de illo, qui gratiæ actualibus ponit obstaculum, incidens post assumptionem Sacramenti in mortale. Quare putas, nisi quia adhuc vera manet significatio Sacramenti? Etiamnum dubitas?

Non peccat mortaliter qui defectu perfectissimæ dispositionis non accipit gratiam perfectissimam.

Planè, inquis: quoniam ex parte saltem falsificatur significatio; & alioquin cur peccet graviter, qui suscipit Sacramentum ind dispositus ad characterem, cum & hic solùm sit effectus secundarius? vel si est primarius, etiam sic in ipso solo salvabitur veritas Sacramenti. Quid ad hæc?

Viderint illi, qui asserunt characterem effectum primum: mihi res facilis est; nam qui est ind dispositus ad characterem, effectum licet secundarium, necessariò est simul ind dispositus ad effectum primum, imò & ad ipsam substantiam Sacramenti. Quæris, unde sciam? Quia nequit Sacramentum esse validum, & characterem non imprimere: unde talis fingit sive invalidat Sacramentum, quod non potest non esse grave sacrilegium, ut patet in ministro defectu materiæ, formæ vel intentionis invalidè ministrante.

Cæterùm sicuti Sacerdos incurrit reatum mortalis sacrilegij non tantùm si baptizet invalidè, verùm etiam si solùm indignè, v. g. existens in malo statu: consimiliter (ne dicam ampliùs) peccat, qui indignè Baptismum suscipit, privans utique Sacramentum sine sive effectu suo principali, ad quem significandum est institutum, sci-

Indignè suscipiens Baptismum falsificat significationem Sacramenti.

licet gratiâ sanctificante (quod non facit qui indignè baptizat alioquin dignum) & per consequens falsificans significationem Sacramenti, utpote principaliter instituti ad significandam practicè gratiam & sanctitatem; quam tamen in eo casu non significat, propter obicem & ind dispositionem subjecti.

Obijcies: Sacramentum solùm significat, confertur gratiam non ponentibus obicem; ergo non redditur falsa significatio per positionem obicis. Respondeo. Sacramentum ex institutione sua indefinittè significare, gratiam confertur omni suscipienti, quam significationem suo modo falsificat qui ponit obicem gratiæ, hoc est, impedit ne hic & nunc Sacramentum absolute significet id, ad quod principaliter significandum à Christo est institutum; adeoque quantum est in se facit, ut Deus significet falsum, sive potius; ut Deus in illis circumstantijs per suum Sacramentum non possit significare actualem sanctitatem, per quam homo actu sanctificetur, & Deo quasi consecratur. Et hæc, communi totius Ecclesiæ iudicio, censetur gravis irreverentia. Sicuti qui falsum jurat, quamvis non faciat quòd Deus verè affirmet falsum, facit tamen quantum est in se, ut id appareat, & ideo semper peccat mortali sacrilegio; etiam in minima materia; materialiter spectata; quod addo, quia juramentum, cui deest veritas præsens, semper habet materiam formaliter gravem.

Si inistes Baptismum conferre gratiam ablato obice. Respondeo, illam non significare nisi secundariò. Unde sicuti redditur falsa consecratio alicujus materiæ, quæ pro nunc incapax est, licet postea reddatur capax: & sicut qui vovit castitatem, & in pœnam violationis voti, jejunium; licet jejundet, nihilominùs manet infractor voti; sic etiam falsificator est Sacramenti, qui pro nunc quando confertur, impedit ejus effectum, quamvis postea sublato obice eum recipiat.

Profectò etsi malitiâ indignè susceptio- nis non sufficienter haberetur ex jure naturali seu connaturali gratiæ, credendum equidem foret non deesse præceptum positivum Christi, cum certum sit esse aliquod præceptum, & quidem graviter obligans, nisi (ut dicitur in conclusione) necessitas excuset. Casus sit, si sacræ hostiæ conculcandæ ab infidelibus non possent occultari, aut præservari à dehonoratione, nisi statim sumerentur ab unico, qui adest, peccatore; qui ob perturbationem animi & penuriam temporis non posset se ad statum gratiæ disponere: si enim is alioquin cum reverentia

52. Responso ad objectio- nem, quòd Sacramentum solùm significet confertur gratiam non ponentibus obicem.

53. Baptismus conferens gratiam ablato obice, non significat illam nisi secundariò.

54. Etiam si malitiâ indignè susceptio- nis non haberetur sufficienter ex jure naturali; credendum equidem foret, non deesse præceptum positivum Christi.

Casus ubi necessitas excuset ab irreverentia.

reverentia eas fumeret, non censeretur in illis circumstantiis facere injuriam Sacramento, sed potius reverentia ejusdem confulere.

Quemadmodum licet Eucharistia non possit fordidis manibus tractari, si tamen id fieret in simili eventu; quis sapiens, & diceret: amice, quare hoc facis? Circumstantia quippe mutant morale iudicium, adeo ut quod per se loquendo esset contra in illis sit secundum reverentiam; veluti si ambulans per plateas pedibus conculcarem sceptrum, coronam, purpuram aut sigillum regium, omnes una voce clamarent me reum laese Majestatis. Fugio hostem capitalem, nequeo mortem evadere, nisi pedibus conculcem sceptrum &c. conculco, & nemo loquitur.

55. Sed contra: 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit &c.* atqui peccator, etiam in illa occurrentia, manducat indignè; ergo &c. Probo minorem, quæ sola potest negari: quia reddit significationem Sacramenti falsam non minus, quam in alijs circumstantiis; quæ falsa significatio est fundamentum irreverentia, & consequenter malitia, quæ reperitur in indigna Sacramenti susceptione. Igitur sicuti ob nullam prorsus causam, sive mortem evadendam, sive irreverentiam evitandam, aliàs Sacramento aut alteri rei sacræ inferendam, licet falsum jurare (quo simili supra usi fuimus ad ostendendam malitiam indignæ susceptionis) ita quoque semper illicitum erit falsificare Sacramenti significationem, impediendo effectum gratia.

56. Respondeo nihilominus negando minorem. Ad probationem dico, falsam significationem Sacramenti non ita intrinsecè esse malam, quemadmodum falsum juramentum; neque oportet similitudinem currere quatuor pedibus; ut communiter loquimur. In eo itaque conveniunt (ut supra dixi) indigna susceptio Sacramenti & falsum juramentum, quod homo, quantum in se est, faciat, ut appareat Deum significare & affirmare falsum. In hoc autem discrepant, quod per juramentum falsum quasi destruitur & auferatur à Deo prima veritas in dicendo; finis siquidem juramenti intrinsecus est, confirmatio veritatis per testimonium Dei, tanquam primæ veritatis; perjurium verò directè nititur facere illud confirmatorium falsitatis, quod cedit in summam Dei injuriam, & continet necessariam irreverentiam.

Porro indigna susceptio Sacramenti nullum propriè destruit vel auferit attributum

divinum; quod enim illud esset? Certè non veritas in dicendo; quia hæc est conformitas dicti cum suo significato, quæ quidem tollitur per falsum juramentum; quippe adducitur Deus tanquam asserens falsum pro vero: at verò indignè suscipiens Sacramentum, nec ipse propriè mentitur, multò minus facit Deum Auctorem mendacij, cum suscipiens non sustineat personam Dei, sed potius minister. Non etiam veritas in faciendo, sive fidelitas, quia Deus solum promittit gratiam Sacramentalem subiecto legitime disposito: & ita discute de reliquis attributis.

Quando ergo supra dixi, indignè suscipientem quantum in se est, facere, ut appareat Deum significare falsum, hoc non est intelligendum, quasi Deus per quodlibet Sacramentum hic & nunc significet suam mentem, quam habet circa effectum conferendum vel non conferendum; contrarium enim per se patet; sic quippe continuo loqueretur Deus hominibus per sua Sacramenta, quæ tamen non sunt ordinata tanquam signa mentis divinæ, quod requiritur ad locutionem; sed tanquam signa gratia ad salutem hominis viatoris. Facere ergo, ut appareat Deum significare falsum, non est aliud, quam efficere, ut signum à Deo institutum, non ad suam mentem significandam; sed ad significandam efficaciter gratiam, careat suo effectum, quem aliàs ex vi suæ significationis haberet, quod est contra reverentiam debitam tali signo & Auctori ipsius; quæ tamen irreverentia cessat, quando tales circumstantia occurrunt, in quibus hæc irreverentia necessaria est ad aliam majorem evitandam, ut in casu supra posito, in quo & eadem & alia multò gravior imminet Sacramento. Unde tunc frustratio effectus Sacramentalis potius reverentia, quam irreverentia dicenda est; ita namque judicant prudentes, à quorum iudicio multum pendet, an hic & nunc aliquid sit cultus aut honor, vel potius de-honoratio.

Nec enim illa frustratio effectus tanti aestimatur, quin species Sacramentales, quando sine horrore sumi non possunt, licite comburantur; aut certè, secundum Rubricas Missalis Romani, *caute separantur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur*, Tit. de defect. c. 10. n. 14. Cur ergo peccator in aliquo casu non possit eas consumere sine effectum, sicuti ab igne consumuntur?

Vasquez in 3. partem to. 3. disp. 207. c. 1. n. 3. (quem sequitur Lugo disp. 9. n. 8.) Si quis (inquit) in altari recordaretur alicujus ecclesie, qui

56. Falsa significatio Sacramenti non est ita intrinsecè mala, quemadmodum falsum juramentum.

Quis significat? apparet Deum significare falsum.

par. Missal. Rom.

58. Casus Vasquez & Lugo de significatione ecclesie, qui

Sect. 8. De Suscipiente Sacrament. Concl. 3. 225

recordatur in aliam commissi mortalis peccati. alicujus peccati commissi post confessionem, cujus illuc usque nullam neque in universam habuisset contritionem, quia fortassis nunquam putavit esse mortale; tunc autem jam videt, aut vehementer dubitat esse mortale, ita posset temporis angustijs arctari, alijsque necessarijs ipsius Sacrificij distrahi (quamquam raro id accidere potest) ut nisi ab eo cessaret, nullo modo ad perfectam contritionem, aut alium quemlibet actum supernaturalem excitari posset: ac proinde tunc ad Sacramentum in illo peccato mortali accedere, ad novum peccatum mortale ipsi non imputaretur: quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio, ut debeat homo coram toto populo à sacrificio cum nota sui honoris cessare potius, quam ad Sacramentum cum illo peccato accedere. Hæc ille. Verè an falsè, libentius discò, quam dico.

dacium, hoc est, locutio contra mentem: si quidem Sacramentum non est institutum ad significandum conceptum suscipientis, sed ad significandam & causandam gratiam.

Dices: saltem est falsi significatio, qualis non est combustio aut alia similis corruptio Eucharistiæ. Transeat totum. Sed quid tum? Quippe falsa illa significatio est præter intentionem ejus, qui sic suscipit Sacramentum. Unde autem convincitur, quòd hujusmodi falsitas non possit excusari à peccato, saltem à mortali sacrilegio?

Nonne & ille, qui Sacramentum ministrat indigno, aliquo modo falsum significat, id est, facit ut v. g. hæc hostia sacra non causet gratiam sanctificantem, quam alioquin causasset, si eam dedisset digno? Et tamen hoc licet in aliquo casu. Sufficiant ista pro prima conditione necessaria ad licitam receptionem Sacramenti.

De secunda queritur, an liceat suscipere Sacramentum à ministro indigno? Et quia indignitas multiplex est, una juris quasi naturalis, quæ oritur ex statu peccati mortalis; altera verò juris positivi, quo alicui prohibetur ministerium hujus vel illius Sacramenti; hinc responsio indiget pluribus conclusionibus, quas suo ordine hæc subjungo.

CONCLUSIO IV.

Licetè petitur Sacramentum à quolibet suâ culpâ indignè ministrato, modò id suadeat notabilis utilitas.

Suppono suscipientem non teneri inquirere dignitatem ministri; ubi enim talis obligatio imponitur? Certè difficilis sæpe, imò injuriola esset; nemo quippe præsumitur malus nisi probetur, & in dubio non est præsumendum delictum. Unde licitum est communiter suscipere & petere Sacramentum à ministro, quando moraliter non constat ipsum indignè ministratum, adeò ut si quis videret Sacerdotem statim peccantem, posset ab eo petere Sacramentum, esto non sit paratus, neque obligetur ex officio ministrare; quia sperare potest & debet præviam dispositionem ad dignam ministrationem per contritionem aut confessionem, nisi fortè publicum sit illum esse in diuturna consuetudine peccandi ac proximis peccati occasionibus, retinendo v. g. apud se concubinam. Hæc est communis sententia, teste Dicastillone disp. 3. n. 302. sicuti & ipsa conclusio communis est, ut

ff ibidem

non est mendacium.

Licet sit falsa significatio, potest tamen excusari à peccato.

Multiplex indignitas ministri.

60. Suscipiens non tenetur inquirere dignitatem ministri.

Dicastillone

Alius casus Vasquez.

Disparitas inter illos casus.

Indigna perceptio Sacramenti

ibidem docet n. 296. quæ facillè probatur ex principio ab omnibus admisso: Licet permittere peccatum proximi, quando commodè non potest impediri.

61.
Objectio.

Dices: Hic petitur peccatum, ministerium scilicet Sacramenti, quod hic & nunc est peccaminosum. Respondeo illam actionem ex se bonam esse; & bene à ministro fieri posse; & ut talis petitur, non quæ mala est, malitiâ proveniente & dependente à sola ipsius voluntate. Ita Doctor Subtilis 4. d. 5. quæst. 2. num. 6. ibi: *Ad secundum dico, quòd ille, qui petit Baptismum à malo Sacerdote, non cooperatur illi directè ad peccatum mortale; petit enim ab eo actum debitum, & in hoc non delinquit: quia nullus malitia excusat illum à solvendo debito, quo tenetur alteri. Ille etiam actus petitus possit solvi sine peccato, si baptizatus contereatur. Unde quantum est ex actu petentis, petentis magis necessitat Sacerdotem ad penitendum, quam ad actum peccandi. Si autem ille non peniteat, nihil imputandum est ei, qui petit illum actum: quia non in quantum est peccatum petit, sed in quantum debitum est.*

62.
Non licet petere Sacramentum, quod minister, et si velit, non potest dare sine peccato.

Romen. 1.

Hinc notanter dixi in conclusione *Sua culpa*. Siquidem petere Sacramentum, quod minister, etsi velit, nequit dare sine peccato, absque dubio in omni prorsus eventu illicitum est, etiam in extrema necessitate tam spirituali, quam corporali. Ratio est manifesta: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et juxta Apost. Rom. 1. v. ultimo: *Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Quis autem non videat peccatam actionem, quæ hic & nunc non potest licitè fieri, consentire illicitè operanti?*

63.

Contrarium cernitur in illis, qui ob necessitatem aut notabilem utilitatem faciunt actionem ex se bonam aut indifferentem, ex qua proximus sumit occasionem peccati; aut etiam petit à proximo actionem hujusmodi, licet prævideat ipsum ex libera sua voluntate in ea mortaliter peccaturum.

Casus obviij sunt & communes. Sic quippe licitum est hospiti apponere cenam vel carnes in die jejuniij; puella se honestè ornare; petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli, & infinita alia, quavis ex illis prævideam per accidens secutorum proximi peccatum, quando hæc sunt necessaria ad vitandum damnnum temporale, respectivè notabile ad spirituale damnnum, quod proximus incurrit per peccatum. Quod addo, quoniam in his maxi-

mè attendenda est regula charitatis. Incipit quidem charitas à se ipso, sic tamen ut interdum bona temporalia, imo & ipsam vitam teneamur exponere pro proximo, ut communiter docent Theologi in tract. de Charitate.

Ex quo facillè intelliges, quare in conclusione addiderim illam limitationem: *Quare datur in Conscientia: Modo id suadeat notabilis utilitas.* Porro quæ talis sit, pendet à prudenti judicio omnibus circumstantijs maturè discussis; puta, si aliquin esses moriturus sine Baptismo, Abolutione; Viatico &c. aut sentis grave periculum succumbendi peccato. Item si urgeat præceptum annuæ Confessionis aut Communionis, etiam satè probabiliter (inquit Dicastillo supra n. 297.) etiam si minisset ex ignorantia aut passione in malo statu esset administraturus; non enim omitienda sunt præcepta, ut evitetur scandalum passivum, etiam pusillorum.

Et quidem quod artinet ignorantiam, si est invincibilis, credo reverentiam Sacramenti exigere præviam admonitionem, nisi aliquid obstat; quippe juxta regulas correptionis fraternæ, etiam materiale peccatum, maxime contra legem naturalem, avertendum est à proximo, quando commodè fieri potest. Prudenter autem speratur, talem ministrum sublatà ignorantia adhibiturum sufficientem dispositionem per contritionem aut confessionem; sin illa spes non subsit, melius permittitur peccatum materiale, quam formale. Et quia illa spes rara est, quando procedit ex ignorantia vincibili vel passione, judicio etiam raro admonitionem esse præmittendam.

Insuper notabilis judicatur utilitas, si occurat fructus indulgentiæ, consuetudo rationabilis divitijs non differendi, extraordinarius fervor, & similia, quæ juxta varias circumstantias (ut dixi) prudenter censebuntur proportionata peccato, quod permittitur. Quare minor causa requiritur respectu obligati ex officio, quam respectu alterius; similiter minor respectu parati ad ministrandum, quam respectu non parati; minoris peccatoris, quam gravioris; non excommunicati, quam excommunicati; quia hi magis peccaturi sunt, quam illi. In praxi tamen (ut notat Regius q. 64. a. 6. d. 2. n. 52.) hæc posteriora non semper possunt facillè distingui, atque ita error in his non facillè erit tam gravis.

Ex eadem regula charitatis sequitur, illicitum esse accipere Sacramentum à malo Parocho, etiam parato, quando commodè potest accedi privilegiatus; quia datur

Sect. 8. De Suscipiente Sacrament. Concl. 4. 227

etiam para-
to, quando
aque com-
mune acce-
di potest
privilegia-
tus.

datur occasio saltem peccati externi, quod
secundum aliquos habet malitiam forma-
lem distinctam à malitia actus interioris:
interdum etiam, videlicet si tantum ha-
bitualiter sit paratus, peccati interni; vel si
actualiter jam consensit, continuationis
aut intensiois consensus præstiti. Juxta
ergo proportionem istius damni spiritualis,
petitio tua & receptio sine rationabili cau-
sa erit grave & leve peccatum contra obli-
gationem charitatis. Dico sine rationabili
causa; quoniam eligi potest malus relicto
bono, si ille melius noverit dirigere tuam
conscientiam, ei liberius explicentur pec-
cata ob boni morositatem &c.

67. An in arti-
culo mortis
relinquen-
dus bonus
non appro-
batus & pe-
tenda abso-
lutio à malo
approbato
præsentem.

Addunt aliqui in articulo mortis relin-
quendum bonum non approbatum, & pe-
tendam absolutionem à malo approbato
præsentem. Sed cur hoc? quia (inquiunt)
malus, etsi peccaturus, adhibet certum re-
medium; bonus autem tantum probabile,
cò quod tantum probabile sit poenitentem
in isto articulo posse confiteri cuilibet non
habita ratione Parochi, vel approbati.

68. Absolutio
in casu data
à non ap-
probato
moraliter
certo valet
Trident.

Respondent alij: moraliter certo valet
absolutio. Et probant ex Trident. sess. 14.
cap. 7. ibi: *Verumtamen pie admodum, ne
hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ec-
clesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit re-
servatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sa-
cerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis
& censuris absolvere possunt.* Quæ constitutio
ad eò generalis & indefinita, accedente præ-
sertim auctoritate DD. tribuit jurisdictionem
speculativè probabilem omnibus Sa-
cerdotibus absolvendi quoslibet poeniten-
tes in articulo mortis, etiam in præsentia
Ordinarij; ergo, inquiunt, certissimam
practicè, Ecclesià supplente defectum ad
singulos actus, præfertim dum adest specialis
rictio, scilicet irreverentia aliàs certo com-
mittenda in administratione Sacramenti.

Et sanè si Ordinarius præsens, qui non
vult absolvere, habeatur pro absente; quidni
etiam absens reputetur, qui non vult licitè
absolvere? Accedit, quòd poenitens adjun-
gendo aliquod peccatum veniale, aut mor-
tale aliàs confessum, certissimè, non tantum
practicè, sed etiam specularivè, ab omnibus
absolvatur, saltem indirectè. Possit ergo
exponere peccata sua Ordinarij, at malo
ministro; sed cur obligetur, non satis pro-
batur. Hæc illi.

69. Quid de
ministro
Baptismi,
ex Scoto.

Aliud fortè dicendum foret, juxta men-
tem Doctoris Subtilis, de Ministro Baptis-
mi; sic enim docet 4. d. 5. q. 3. n. 5. Si (in-
quit) est occidit malus, ita quòd vita eius non sit
scandalosa populo, satis conceditur, quòd possit ali-
quis a tali, imò debeat recipere Baptismum, si

aliàs debeat: quia propter peccatum, quod non est
notorium; non debet aliquis in actibus notorijs
vitare proximum. Si autem est publice vel notoriè
malus, utpote publice fornicarius, aut huiusmodi,
aut incumbit sibi ex officio dispensare Sacramen-
tum Baptismi, utpote quia est Sacerdos, vel Cu-
ratus parochialis; aut non incumbit, tamen con-
grueret ratione officij, utpote quia est Sacerdos ali-
quis datus vel vocatus in adutorium Curati: si
primo modo, non peccat, qui recipit Baptismum pro
se vel pro parvulo suo; quia non peccat, qui à malo
debitum petit vel accipit (intellige quando alius
non adest, qui sine licentia Parochi potest
ministrare.) Si secundo modo, si possit habere
alium, cui incumbit ex officio baptizare: aut aequè
malum, aut meliorem. Si meliorem, peccat, qui ab
illo recipit; quia non incumbit sibi Sacramenta mi-
nistrare: & si aequè malum, debet recipere à suo.
Sed si nullus alius possit haberi Curatus vel Sacer-
dos; nisi aequè malus isti, possit tamen haberi ali-
quis bonus laicus, dubium est quis cui sit preferen-
dus in isto actu, an bonus laicus Sacerdoti publice
malo, an Sacerdos malus bono laico. Et breviter,
quia officium ministrandi Sacramenta in Ecclesia
competit Sacerdotibus, videtur dicendum, quòd
quoad istum actum magis eligendus est malus Sa-
cerdos; puta, quia solus Sacerdos est mini-
ster ordinarius Baptismi solemnitis (de quo
ibi loquitur Doctor) extra necessitatem.

Potius igitur permittitur peccatum in-
dignæ administrationis, quàm omittatur
solemnitas Baptismi ab Ecclesià præcepta,
vel à ministro non competente adhibeatur.
Putarem tamen Diaconum bonum præfe-
rendum malo Sacerdoti; nam & ille in ne-
cessitate solemniter baptizat, ut proprio
loco dicitur.

Ex quo patet disparitas inter ministrum
Baptismi & Poenitentiae; quippe etiam non
approbatus absolvit ex officio, id est, ex vi
Ordinis Sacerdotalis. Adde Scotum non abso-
lutè asserere Sacerdotem malum preferendū,
sed utitur ly videtur dicendum, quòd relinquit
decisionem dubiam. Atque ex his manet
sufficiens explicata & probata conclusio.

Solum obijcio: Non licet mihi petere à
medico, qui simul magus est, ut me sanet, si
certo sciam quòd per incantationes me sa-
nabit, quamvis naturalibus remedijs me sa-
nare possit; ergo similiter non potero ab im-
probo Sacerdote petere Sacramentum, quan-
do scio quòd cum peccato administrabit,
quamvis sine peccato administrare possit.

Respondeo Primò cū Ex. D. M. N. Joane
Wiggers q. 64. de Sacram. n. 40. negando
consequentiam. Et ratio est: quia non ideo
illicitum est à tali medico petere ut me sa-
net, quia scio illum peccaturum (quippe
peccatum ipsius in tali casu non teneor im-
pedire,

Potius per-
mittendum
peccatum
indignæ ad-
ministratio-
nis, quàm
omittatur
solemnitas
Baptismi.

Disparitas
inter mini-
strum Bap-
tismi & Po-
enitentiae.

70. Obijcio,
quòd non
licet petere
sanitatem à
medico, qui
simul ma-
gus est.

71. Prima re-
sponso.

pedire, sed possum permittere) verum idcirco, quia jure naturali & divino est prohibitum habere quamcumque societatem aut communicationem amicitiae vel quasi amicitiae cum perduelli hoste divinitatis & humani generis diabolo, juxta illud Apostoli

1. Cor. 10. v. 20. *Nolo autem vos socios fieri demoniorum*, ita quod non tantum non possum ipsum rogare, ut beneficium quaecumque mihi praestet, sed ne quidem possum permittere, ut ad preces & incantationes alterius aliquam mihi operam suam liberam & gratam voluntate impendat; sicuti non licet militi inire ullam communicationem amicitiae aut familiaritatis cum perduellibus hostibus sui Imperatoris, nec munera aut beneficia ab eis recipere absque reatu in ipsum Imperatorem; quamvis ipse miles ad hoc positivè non cooperaretur.

Istiusmodi autem communicatione cum daemone contraho, quando certò scio, quod medicus operam diaboli me sanabit, licet possit sanare naturaliter; quia interpretativè volo ab ipso daemone beneficium sanitatis accipere, quoniam medicus non vult aliter praestare: atque adeò censeor per magum velle inducere daemone, ut ipse hoc mihi praestet.

Porro in casu conclusionis nostrae optimum est quod petitur, scilicet ipsum Sacramentum; sola obstat malitia ministrantis, quam non semper teneor impedire.

72.
Secunda
Responsio.
Pet. de Leles.
70.
Sanchez.
Suarez.
Lefsius.

Respondeo Secundò cum Pet. de Lelesma in Supple. q. 58. a. 2. dub. 2. conclus. 3. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 95. n. 11. quos sequitur Suarez lib. 2. de Superstitione c. 18. n. 16. Lessius lib. 2. de Justitia c. 44. dub. 6. n. 46. & alij, negando antecedens; quia petitio mea non est causa moralis illius veneficij, quod per accidens & praeter meam intentionem adhibetur, & cujus permittendi habeo rationabilem causam, puta, quia magus iniquè me affligit aut damnum infert, quod etiam me non postulante tenetur ex Justitia modo licito auferre: ut ergo jure meo hoc exigendo; sicut dum peto juramentum ab infideli, aut mutuum ab usurario. In quo igitur delinquo?

Resp. Wiggers.

Respondet Wiggers tract. 8. de Relig. cap. 6. dub. 23. num. 160. quia cum scias magum non facturum sine maleficio, censeas id ipsum petere à daemone, & in hoc consentire, quod daemone ope illud beneficium tibi impendatur, quod est intrare in societatem daemone omni jure prohibitam.

73.

Sed contra: hoc est quod quaritur, an censear positivè consentire in beneficium daemone? Cum enim (ut supponitur)

possum curari à mago modo naturali ac licito, & quantum in me est mallem sine maleficio damnum tolli, non à daemone, vel homine quàm magus est, sed quàm homo est humano modo, videtur Doctoribus jam allegatis potius permissio, quàm positivus consensus; adeoque permittendo illam curationem maleficam, non recognosco quamdam subjectionem meam ad diabolum, licet hic illam intendat.

Nec enim (ut Wiggers existimat supra n. 161.) petitio mea in illis circumstantijs satis indicat, quod velim à maleficio liberari quovis modo, sive medio naturali, sive superstitioso, & proinde me in hoc concedere, ut per daemone tollatur malum meum ad invocationem magi, atque ita daemone me submittam, cujus ope paratus sum uti seu admittere ad meam curationem; hoc, inquam, non significat mea petitio, sed potius contrarium: nam quia scio, quod humano modo possit malum meum auferri, ideo peto à mago ut faciat quod jure potest & tenetur, aliàs minimè petiturus, si scirem maleficium esse necessarium; ergo non subicio me diabolo, vel mago in quantum minister ejus est, sed in quantum homo, qui obligatur ex Justitia humano modo me juvare.

Aliud esset, si daemone sese offerret, etiam absque mea petitione & absque opera magi, ut liberaret me à maleficio; siquidem tunc acceptando, positivè consentio in beneficium daemone, cum alia ratione in illis circumstantijs nequeam liberationem obtinere. Similiter si magus se sponte offerret, ut tolleret per maleficium; nam sic acceptarem ipsum maleficium, sive magum, ut magus est; quoniam sub illa ratione solum se offert, adeoque non solum consentirem in permissionem male actionis (ut vult Wiggers supra) sed in ipsam potius actionem malam, quae mihi proponitur acceptanda. Quae non habent locum, quando simpliciter peto à mago ut me curet, scilicet in quantum homo est, etsi certò sciam quod sanabit maleficium.

Interim haec doctrina non caret scrupulo. Unde Sanchez supra: Duo (inquit) monuerim: Alterum est, nullatenus licere admittere, si maleficus applicare velit medicinam aliquam vanam & superstitiosam. Quia est uti medicina vanam ac superstitiosam nullam vim significandi habente, nisi ope & invocatione daemone; quod est intrinsicè malum. Nec potest dici, hoc tantum esse uti peccato alterius, sicut quando maleficus alto maleficio solvit, nullam medicinam superstitiosam applicat. Quia consentiens medicinam

74.
Non licet
admittere
magum, si
adhibere
velit medi-
cinam vanam
& superstitiosam.

Sect. 8. De Suscipiente Sacrament. Concl. 4. 229

cinam illam sibi applicari, revera utitur ea, atque ita medio superstitioso & illicito.

Alterum vero est, quando spes esset fore ut prodesset monitio, teneri petentem ex lege charitatis illum monere, ut medio licito faciat. Quod idem necessario fatendum est de petente mutuum ab usurario & juramentum ab infideli. At in omnibus his casibus omittens monitionem illam, non esset reus peccati inductionis maleficij, sed solius precepti correctionis fraternae violari. Hæc Ille, addens n. 12.

Quando dubium esset, an maleficium medium aliquod solvendi licitum nosset, nullatenus licere solutionem maleficij ab eo petere; quod præsumptio sit contra illum: eo vel maxime, quod (ut ait Delrius lib. 6. Disquisitionum magicarum c. 2. sect. 1. quæst. 1. pag. penult.) frequentius sola media superstitiosa norint malefici: & petitur tolli maleficium, quod non nudam privationem importat, sed aliquid actus positivum. Quare ad vincendum hoc dubium, consulit ibi querendum esse à malefico, quæ media norit: si renuat explicare, ait vehementem esse suspicionem contra illum. Si autem explicet, tunc videndum est, an medium sit licitum. Ecce quantà circumspexione indigeat praxis istius sententiæ!

Juvat quoque audire Lessium: Fas (inquit) non est à mago petere, ut maleficium dissolvat, si dubitas an absque novo maleficio id possi: quia id de quo dubium est, an sine peccato fieri possit, sicut absolute non est faciendum, ita nec absolute ab alio petendum, ut faciat: secus, quando constat sine peccato fieri posse; & causa justa petendi subest. Hinc patet, non peccasse militem, qui equum suum misit curandum ad hippiatrum, à quo naturaliter curari poterat; quamvis multum formidaret, id eum superstitiosè præstiturum, sicut & fecit. Si tamen miles præsens fuisset, & vidisset illum signa superstitiosa parantem adhibere, non potuisset permittere; quia permittere ut circa te, vel rem tuam, te præsentem, magica medicatio fiat, est in illam consentire; quia sine tuo consensu nemo tibi vel tuis rebus in tuo conspectu medicinam adhibere potest: imò est moraliter illis uti & applicare; nam medicus agit quasi instrumentum ejus, qui illum adhibet, qui per illum curare dicitur. Unde proprie dicimus nos uti operâ medicorum. Hucusque Lessius.

Cur ergo licebit (interrogat Wiggers supra) permittere, quod in absentia faciat, quando supponitur quod scias, aut tibi persuadeas, quod arte magicâ curabit? Certè non satis apparet, quare uno casu plus in

aliquid mali consentias, quam in altero, quando sic de mago sentiens, ut in casibus ponitur, petis ut malum tollat sive curet.

Respondeo ex Sanchio supra; quia uno casu uteris medicinâ vanâ superstitiosâ nullam vim sanandi habente, nisi ope & invocatione dæmonis; quod est intrinsecè malum: in altero autem minime. Quod maxime verum existimo, quando consentis illam tibi applicari, ut loquitur Sanchez. Alioquin quando medicina solum applicatur rebus tuis, v. g. equo infirmo; neque mihi satis apparet, cur potius licitum sit permittere hujusmodi applicationem in absentia, quam in præsentia, cum utrobique medicus agat quasi instrumentum ejus qui illius opem imploravit.

Equidem si quis auferat rem meam me præsentem & inspiciente, si ex metu mortis non contradico, haud magis consentio in illam ablationem vel alium usum, quam si me absente fieret. Cur igitur magis consentiat in medicinam superstitiosam, quæ in præsentia equo adhibetur, quam quæ in absentia, supposito quod sine gravi incommodo non possit contradicere nec hîc, nec ibi? Unde adverte Lessium non proponere casum, in quo sit moralis certitudo maleficæ curationis, sed formido tantum: quamvis (inquit) multum formidaret id eum superstitiosè præstiturum, sicut & fecit.

Quid autem sit dicendum, quando tam certò constaret id eum magicè præstiturum, atque si oculis inspiceret ita fieri, ibi non resolvit. Judicet prudens Lector, an in utroque casu sit peccatum, an in neutro; sive hoc, sive illud resolveris, stabit adhuc veritas conclusionis, videlicet: Absque peccato non solum contra religionem, sed etiam charitatem, petitur Sacramentum ab indignè illud suâ culpâ (id est propter statum peccati mortalis, à quo gratiâ divinâ opitulante potest se liberare) ministraturo, modò id suadeat notabilis utilitas. Et è contrario peccat non solum contra charitatem, sed etiam religionem, qui petit sine justa causa, & recipit; quia saltem moraliter vult indignam administrationem, quæ est grave peccatum sacrilegij, ut constat ex dictis sectione præcedenti.

Possit fortè in aliquorum sententia excusari à peccato irreverentiæ, si positivè illam non intendat, sed tantummodò ministerium, quod per se licitum est, & hîc & nunc bene fieri potest; quamvis enim virtus Religionis obliget me, ne positivè sim causa suadendo, consulendo &c. aliquid ei contrarium; non ita tamen, ne dem occasionem aliquam per accidens, invirando

Resolutio pro doctrina Lessij ex Sanchio,

Existente dubio, an maleficium medium aliquod solvendi licitum nosset, nullatenus licita est ab eo petitio solutionis maleficij Delrius.

75. Doctrina Lessij.

77.

Quo sensu in quorundam sententia excusaretur, petens ab indigno Sacramentum, à peccato irreverentiæ, si illam non intendet.

v. g. ad aliquem actum, cui præter meam expressam intentionem adjungitur malitia irreligiositatis. Sicut probabiliter non peccat contra Justitiam vel Castitatem, qui inducit alterum ad secum potitandum vel ambulandum, quamvis sciat ipsum postea furaturum vel fornicaturum, sumptâ occasione ex illa potatione aut deambulatione; esto peccaret contra Justitiam & Castitatem, qui positivè illa peccata alteri persuaderet. Sic ergo impræsentiarum contra reverentiam Sacramenti est suadere alicui, aut petere ab aliquo indignam administrationem; secùs tamen secundùm illam sententiam (cujus approbatio vel reprobatio non est hujus loci) simpliciter petere ministerium ex se licitum, cui ex malitia alterius conjungitur irreligiositas.

78.
Quando in potestate ministri nõ est debitè ministrare, tam petens quàm ministrans peccat.

Dico *Ex malitia*; quia si per censuram Ecclesiasticam, aut alia particulari prohibitionem ministratio absolutè sit illicita, ita ut in potestate ministri non sit debitè ministrare, haud dubium, quin sicuti minister, sic quoque postulans ministerium semper peccet vel contra Religionem, vel aliam virtutem, ex cujus motivo est facta prohibitio. Imò semper contra Religionem; idque quia ministrans licet ex præcepto obedientiæ teneatur abstinere, adeoque ministrando peccet specialiter contra obedientiam, vel aliam virtutem; tamen eò ipso etiam inseparabiliter & per se peccat contra Religionem, quia conficit & administrat Sacramentum in malo statu, in quo constituitur per ipsum ministerium. Et hæc est indignitas juris positivi, cui in ipso exercitio (ut statim dixi) conjungitur indignitas juris quasi naturalis. De illa indignitate juris positivi restat hinc agendum.

Suppono autem jus antiquum, quo omnes ligati excommunicatione privantur administratione activâ Sacramentorum, cap. *Si celebrat* 10. de Clerico excommunicato, ibi: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta.* Quod jus usque hodie manet integrum quoad excommunicatos vitandos. Ac proinde de illis dico:

CONCLUSIO V.

A ministro non tolerato seu vitando non nisi in periculo mortis licetè petis Baptismum, Penitentiam & verosimiliter Eucharistiam: sub-

inde etiam Extremam Unionem.

PRO intellectu hujus & sequentis conclusionis necesse est scire, qui sint ministri tolerati sive non vitandi, & qui non tolerati sive vitandi. Oritur porro distinctio ista ex nova constitutione seu Extravagante: *Ad vitanda scandala*, quam refero ex Concilio Basiliensi sess. 20. ad finem, ubi sic legitur: *Ad vitanda scandala & multa pericula, subvenendumq; conscientijs timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps à communionem alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione, aut alijs quibuscumque divinis vel extra, prætextu cuiuscumque sententia, aut censura Ecclesiastica, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à ure generaliter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam aut locum certum aut certam, à iudice publicata vel denunciata specialiter & expresse; aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam consulerit incidisse, quod nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communionem illius abstinere vult iuxta canonicas sanctiones.*

Aliter refertur hic ultimus casus ab Antonino juxta Concilium Constantiense, his verbis: *Salvo si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam Latam à canone adeo notoriè consulerit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam à communionem illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere iuxta canonicas sanctiones.* Juxta quam lectionem (veriorem, ut docet Suarez de Censuris disp. 9. sect. 2. n. 5. cum alijs, quos citat) tantum in illo speciali casu, scilicet sacrilegæ manuum iniectionis, vitandus est publicus excommunicatus.

Et quamvis hæc constitutio ex Concilio Basiliensi, in quo solo de facto extat, non possit habere vim legis obligantis universam Ecclesiam, & derogantis seu limitantis antiquum jus (nam Concilium illud, quando illam edidit, vel non erat legitimum, nec sub obedientia summi Pontificis procedebat; vel saltem à summo Pontifice nunquam confirmationem obtinuit, ut videre est apud Turcrematam in Summ. de Eccles. lib. 2. c. 100.) tamen, quia ab universali Ecclesia recepta est, & usu probata, imò (ut creditur) à summo Pontifice manavit; ideo non est dubium, quin obligatio

79.
Qui sint ministri Sacramentorum tolerati & qui non tolerati.
Concil. Basiliense.

Antonino

Suarez

80.

Turcrematam

obligatio vitandi excommunicatos juxta moderationem illam jam factam observanda sit, in quo conveniunt omnes auctores, inquit Suarius supra n. 2.

Igitur minister vitandus sive non toleratus secundum hanc Extravagantem est, Primò omnis nominatim excommunicatus, vel alià censurà ligatus per sententiam à judice publicatam, & denuntiata specialiter & expressè in talem personam. Secundò publicus Clerici percussor, nisi non fuerit denunciatus. Cumque exceptio firmer regulam in contrarium, constat reliquos omnes quàmvis censurà, aut sententià, vel prohibitione generali impeditos, censendos esse toleratos, sive non vitandos. De quibus latius in materia de Censuris.

81. Gravior peccat recipiens à ministro vitando Sacramentum extra necessitatem.

Ut autem exordiar à prima parte conclusionis, omnes Theologi existimant grave peccatum, accipere Sacramentum à ministro vitando extra necessitatem, ob strictissimam prohibitionem Ecclesie interdicentis cum hujusmodi communionem, præcipue in sacris. Excipio necessitatem, quia cum hæc prohibitio solum sit juris positivi humani, in ea locum obtinet commune dictum: *Necessitas non habet legem*, id est, lex humana non obligat cum periculo vitæ aut alterius gravis nocuenti sive temporalis, sive spiritualis. Intellige regulariter, hoc est, nisi actus iuste præceptus per se haberet hujusmodi periculum annexum, vel non oblervantia legis cederet in formalem contemptum legis, scandalum proximi, aut implicitam fidei abnegationem. Et quid mirum, si in necessitate liceat accipere, quod alius licitè administrat? Cessat quippe lex Ecclesie, etiam respectu ministri, & aliàs potest esse in bono statu: si in peccato mortali ministrat, ipse viderit juxta dicta conclusione præcedenti.

82. Baptismus & penitentia sunt Sacramenta necessitatis in articulo mortis. De Baptismo est Augustini.

Cæterum quod atinet ad Baptismum & Pœnitentiam, liquet in periculo mortis esse Sacramenta necessitatis. Et quidem de Baptismo est doctrina D. Aug. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 2. & refertur c. si quem 24. q. 1. de Pœnitentia, ibi: *Nam si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica custodiã, per aliquem extra unitatem Catholicam positum accipit, quod erat in ipsa Catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum se Catholice congregationi etiam corporali presentia reddiderit, inde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securis-*

mè verissimeq, laudamus, quia presentem Deum credit cordi suo, ubi unitatem servabat & sine sancti Baptismi Sacramento, quod ubicunque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare.

His consonat Doctor Subillis 4. d. 5. q. 2. n. 4. ibi: *Potest ergo quantum ad articulum istum teneri sententia media quantum ad adultum, quod adulto licet recipere Baptismum à præciso, si alius minister haberi non potest. Et hoc videtur haberi ab Augustino de Baptismo contra Donatistas lib. 6. c. 5. Potest tradere separatus, sicut potest habere separatus, sed permittit tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, ut Catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi Baptismum sine illius pervertitate perciperent, & sive defuncti sive liberati, nequaquam apud eos remanerent, apud quos nunquam corde transferant.*

Prævidens autem objectionem quorundam causantium quia Baptismus Fluminis sibi sufficeret, illico atexit: *Potest fortè non recipere.... si propter reverentiam Ecclesie talem viret, pensatis tamen omnibus melius videtur, quod à tali recipiat, quàm quod de vita hac sine Baptismo decedat. Præsertim propter difficultatem & incertitudinem contritionis charitate perfectæ, quæ tunc necessaria foret, ut homo Deo reconciliaretur. Idem dicendum est de Sacramento Pœnitentiæ, ut patet. Atque hæc de adultis.*

Occurrit Scoti ob- jectio, quod bap- tismus fla- minis sibi sufficeret.

Sed quid de parvulis? *Quantum autem ad parvulum, si nullus possit haberi non præcisus, qui eum baptizaret, & immineret periculum, quod non possit expectari habere ministrum idoneum, tenetur necessario ille offerre parvulum suum præciso: nimis enim durum esset dicere, quod tenetur parvulum suum perpetuo damnari permittere, cum possit habere aliquem, qui eum baptizet, cum salvetur, à quocunque baptizetur, etiamsi paganus baptizaret, secundum illud de consecr. dist. 4. c. Romanus Pontifex, non hominem iudicat, qui baptizat; sed Spiritum Dei subministra- re gratiam Baptismi, licet paganus sit, qui baptizat. Isidorus de Officijs lib. 2. c. 24.*

83. Doctrina Scoti de parvulis.

Hujus lux analysis duplicem præmiserat Doctor rationem ibidem n. 3. Prima est: *Quia præceptum superioris plus obligat, quàm præceptum inferioris: Deus autem præcipit Baptismum suscipi, nec determinavit à quibus tempore necessitatis. Ecclesia prohibet communicare cum illo, quem præscindit: ergo magis obediendum est præcepto divino, quàm Ecclesie in casu illo.*

Prima ratio.

Secundam exprimit his verbis: *Plus tenetur excommunicatus vitare alium, quàm alius*

Secunda ratio.

vitare eum; quia istud præceptum de vitando excommunicato non imponitur al cui, nisi propter ipsum; nec imponitur sibi, nisi propter se: sed præcisus vel excommunicatus in casu illo non tenetur vitare alium; imò tenetur non vitare. Si enim talis præcisus sciret parvulum aliquem non baptizatum statim moriturum, teneretur necessario eum baptizare, & ita eum non vitare in actu baptizandi. Hoc probò: quia si inveniret eum expositum periculo vitæ corporalis propter famem, teneretur eum necessario iuvare ad salvandam vitam corporalem; magis autem tenetur diligere vitam eius spiritualem, quam corporalem: ergo quando parvulus expositus est periculo vitæ spiritualis, tenetur ille sibi conferre remedium necessarium ad vitam spiritualem: ergo multò magis abis non tenetur vitare eundem, communicando cum eo in tali actu.

84.

Et per hoc apparet quid respondendum sit ad præceptum Ecclesiæ: Illa enim prohibitio universaliter intelligitur, quando præceptum maioris non obligat ad contrarium præceptum, aut legis naturæ: & præceptum Evangelicum maius est præcepto Ecclesiæ tantum. Vbi ergo præceptum legis naturæ obligat sic ad salvandam vitam proximi corporalem, & multò magis spiritualem; & præceptum divinum de conferendo & suscipiendo Baptismum, magis obediendum est præcepto superioris, quam vitandus est aliquis in actibus istis propter præceptum Ecclesiæ ipsam vitandis. Nullus enim iudex in Ecclesia vel legislator interpretaretur præceptum suum esse servandum in eo casu, in quo urgeret contra præceptum legis naturæ vel divinum.

Quo sensu dicitur Scotus præceptum divinum prævalere Ecclesiastico.

Ubi noto, Ipsum non dicere simpliciter & absolute, præceptum divinum prævalere Ecclesiastico (absit enim ut tantus Doctor ignoraverit communem sententiam: Non licet celebrare sine vestibus sacris ad communicandum infirmum, esto fieri posset, quòd infirmus obligaretur jure divino) sed cum hac limitatione: Et præceptum Evangelicum maius est. Quando autem hoc fit, generaliter ibi non determinat, sed relinquit iudicio prudentum: & tamquam unus ex illis iudicat, præceptum Baptismi, maxime in extrema necessitate, prævalere præcepto Ecclesiæ, quo prohibet communicationem cum excommunicatis, etiam vitandis.

85. Quod de Baptismo, est æque dicendum de poenitentia. Trident.

Par sit iudicium de Sacramento Poenitentiae, quod est lapsus post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. Quod probè intelligens Concil. Trident. sess. 14. c. 7. sic inquit: Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis preat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio casuum in articulo mortis: atq; ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis & censuris

absolvere possunt. Quemadmodum autem illæ particulæ quoslibet & quibusvis universaliter sumuntur sine ulla exceptione poenitentium aut peccatorum; cur non similiter ly omnes sine exceptione alicujus Sacerdotis? Haud video quid obster. Valide ergo & licite absolvet Sacerdos excommunicatus etiam non toleratus, vel in defectum aliorum, aut certè ad moribundi requisitionem.

Quantum ad Eucharistiam & Extremam Unctionem, certa est conclusio, quando in extremis nequeo alio Sacramento justificari. Non enim est verisimile Ecclesiam voluisse, imò potuisse in tanta necessitate obligare ad non petendum aut ministrandum illa Sacramenta.

An autem generaliter in articulo mortis liceat petere, non auctim asserere de Extrema Unctione. Quamvis enim sit Sacramentum magnæ utilitatis & solatii, & specialiter pro illo articulo institutum, tamen nulla est necessitas, nequidem juris Ecclesiastici; Viaticum verò, quamquam & illius non sit absoluta necessitas pro omni casu, tamen regulariter obligat, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed (juxta multorum DD. sententiam) etiam ex præcepto divino. Ideoque considerata maximâ ejus utilitate (quæ est quasi moralis necessitas) & summâ infirmi indigentia, Suarez de Eucharistia disp. 72. lect. 4. circa finem simpliciter censet; à quocumque in extrema necessitate licet accipere Sacramentum Poenitentiae, licere etiam sumere viaticum, juxta generalem regulam positam in c. Quod in te, de Poent. & Remiss. ibi: In illo verbo, per quod Poenitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod verè poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur. Ubi Innoc. III. tempore generalis interdicti sub concessione Poenitentiae declarat contineri concessionem Viatici; secus Extremæ Unctionis: nam statim subiungit: Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Unctio, quam Ecclesiastica sepultura &c.

Et licet (ut notat Suarez supra) formaliter sit sermo ex parte recipientis, est tamen eadem ratio ex parte ministrantis: loquitur quippe Pontifex de interdicto generali, quod afficit tam recipientem, quam ministrantem; idque ante tempora Concilij Constant. quando generaliter interdicti, etiam non denunciati, erant ministri non tolerati. Ratio congruentiæ est: quia hujusmodi censura ita sunt in odium iniquorum Sacerdotum, ut tamen non cadant in gravissimum detrimentum bonorum fidelium.

86. Item de Eucharistia & Extrema Unctione, quando in extremis quis recipit alio Sacramento iustificari.

An generaliter in articulo mortis liceat petere illa Sacramenta.

Quo sensu dicitur Scotus præceptum divinum prævalere Ecclesiastico.

Ubi noto, Ipsum non dicere simpliciter & absolute, præceptum divinum prævalere Ecclesiastico.

85. Quod de Baptismo, est æque dicendum de poenitentia. Trident.

Par sit iudicium de Sacramento Poenitentiae, quod est lapsus post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

lium. Unde in hoc nullus fit favor huiusmodi malis ministris, sed solum ipsis fidelibus in extrema necessitate existentibus.

87. Licet ergo ab eis Sacramentum Eucharistiae suscipere per se loquendo, id est, secluso periculo scandali publici, aut infamiae Religionis, vel alterius mali, ad quod posset hominem talis minister inducere; quae rationes maxime occurrere possunt, quando minister est haereticus; & quantum colligi potest ex historijs, intervenerunt in facto S. Hermenegildi, quem laudat S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 31. quod instante Martyrio noluerit recipere communionem ab Episcopo Ariano; quippe in illis circumstantijs, praesertim cum ignoraret mortem instantem; visus fuisset in illa communione redire ad Arianismum: siquidem (ut verbis utar D. Gregor.) *superveniente Paschalis festivitatis die, intempeste noctis silentio ad eum perfidus pater Ariannum misit Episcopum, ut ex eius manu sacrilega consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereatur.*

Haec pro ministris vitandis. Quid autem tenendum sit de ministris non vitandis, patebit ex conclusione sequenti:

CONCLUSIO VI.

Excommunicatus toleratus non aliter, quam quivis malus minister, est declinandus; ut proinde possit etiam bonis praeponi, si credatur bonus esse.

88. **E**xcommunicatum, aut per aliam censuram praescriptam & suspensum posse redire in gratiam per veram cordis contritionem, & propositum petendi absolutionem a censura, ante realem absolutionem, omnium DD. concors est sententia. Quae supposita conclusio habetur in Extravagante *Ad evitanda*, in principio conclusionis praecedentis recitata, ubi permittitur omnibus fidelibus communio cum personis inibi expressis in Sacramentorum administratione vel receptione, non ab aliam causam, quam ad evitanda scandala & multa pericula, subvenientium, consentijs timoratis: ergo etiam ipsi ministri ex parte sua, quando requiruntur; licite Sacramenta administrant, in quantum praesens hoc ipsis

prohibetur per censuram; alius nullus favor esset factus fidelibus, neque subveniretur conscientijs timoratis: quippe & antea poterant communicare (ut vidimus) existente rationabili causa; adeoque facultas concessa vel nulla esset, vel multis scrupulis obnoxia.

Dixi autem Primò: *Quando requiruntur*; nam in fine Extravagantis lego haec verba: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Porro plurimum relevaret & suffragaretur, si excommunicati &c. non requisiti possent se ingerere administrationi Sacramentorum.

Dixi Secundò: *In quantum praesens* &c. alius enim si sint in malo statu, eadem (ut patet) est ratio de excommunicato, quae de alijs peccatoribus. Et ideo signanter expressi in conclusione: *Non aliter declinandum esse, quam quemvis malum ministrum.*

Ex his unicuique statim occurrit probatio illationis: *Ut proinde possit* &c. Et enim ex parte status gratiae aequales sunt; inaequalitas autem quae oriri posset ex censura, tollitur & reducit ad aequalitatem per Extravagantem praescriptam, quae loquitur omnino generaliter praesens ad praesentia vel absentia aliorum. Quid ergo obstat, quod minus alijs bonis, etiam praesentibus; possit praeferi?

Dices: Jus antiquum. Respondeo, revocatum esse per jus novum dictae Extravagantis.

Sed contra: Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. de Reformatione; renovat omnes poenas latas in sacris Canonibus contra Clericos concubinos. Prohibetur autem publico concubinario aut fornicario administrare Sacramenta; aut ab ipso recipere cap. *Vestra* de Cohabitatione Clericorum & mulierum, ibi: *Sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis & Praesbyteris, quamquam fornicarijs, quamdiu tolerantur, ne habent operis evidentiam, licet divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.* Ergo a contrario sensu illicitè, quamdiu non tolerantur; ac habent operis evidentiam, ut clarè exprimitur eodem titulo cap. finali; ibi: *Verum etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officijs evitari, quia quantum ad alios, etiam in casu proposito suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam seu per confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quae tergiversatione aliqua celeri non possit.* Ergo huiusmodi peccatorem, etiam nunc tenemur vitare; neque

G g licet

89. Quare in conclusione addatur: *Quando requiruntur,*

Quare addatur: *In quantum praesens* &c.

90.

Jus antiquum obstat conclusioni, est revocatum per jus novum.

91. Obiectio ex Trident.

licet eum præponere bonis, quamvis scirem ipsum per privatam pœnitentiam Deo reconciliatum.

92.
Qualiter
Trid. tenet
pœnas
latas in sa-
cris canoni-
bus contra
Clericos
concubina-
rios.

Respondeo negando consequentiam; siquidem Trident. non renovat illas pœnas tanquàm latæ sententiæ; sed requirit sententiam ferendam, & executionem Episcopi juxta ordinem, quem ibidem præscribit servandum. Sic quippe habet: *Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum ipsis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur.*

Et paulò post: *Si autem in delicto eodem, cum eadem vel alia femina, perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant (ecce pœna latæ sententiæ) qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiis suorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolica delegatus, arbitrabitur, suspendantur; utique per sententiam ab Ordinario ferendam, ut clariùs dicitur eodem capite circa finem de Clericis non beneficiariis, ibi: Clerici verò beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis iuxta sacros canones puniantur. Quod verbum imperativum non versatur circa ipsam pœnam immediatè, sed circa actionem judicis; adeoque intelligi potest de pœna ferendæ sententiæ, juxta Reg. 49. de Regulis Juris in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

93.
Non rectè
Wiggers di-
stinguit in-
ter Paro-
chum & nō
Parochum.

Wiggers de Sacramentis q. 64. a. 6. n. 45. distinguit inter Parochum & non Parochum, dicens: à Sacerdote præciso non Parocho, quamvis tolerato, non est licitum petere Sacramenta, nisi commode ipse possit ante Sacramenti administrationem obtinere absolutionem à censura; vel nisi urgeat extrema necessitas. Ratio est: quia non potest talis Sacerdos ministrare Sacramentum alicui non subdito sine peccato, nisi sit re ipsa à censura priùs absolutus. Neque hic est eadem ratio de hujusmodi Sacerdote & de Parocho proprio; quia quòd Parochus absque peccato possit administrare, quando superiorem adire nequit, inde fit, quia jure suo tenetur servire subdito. Unde ne duabus obligationibus, quibus simul satisfacere non possit, restringatur; ideo quando subditus jure suo petit Sacramentum, cessat pro illo tempore obligatio,

quâ prohibitus est Sacramentum administrare non absolutus à censura. Alter verò ex justitia non tenetur, & potest se exculare; & proinde si ministrat, peccabit. Hæc ille.

Sed nullum alium citat Auctorem, fortè quia nullus alius est, qui ante ipsum illam sententiam docuerit Profectò Extravagans jam læpè allegata, nullâ faciã mentione vel distinctione inter Parochum & non Parochum, generaliter concedit cuilibet fidei potestatem communicandi cum quolibet excommunicato tolerato, etiam in sacris; ubi autem leges aut jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Et hæc quidem assertio, si materia sit favorabilis, certissima est (inquit Caramuel in Theol. sua fundamentali num. 1302. fol. 376.) at in odiosa etiam solemus distinguere, ubi jura non distinguunt: qui enim illa sanxerunt fuerunt homines, & poterunt aliquid obscurius dixisse, aut etiam aliquid oblivioni mandasse.

Sed numquid & homines fuerunt, qui favorabilia sanxerunt? An fortè non potuerunt in materia favorabili aliquid obscurius dixisse, aut aliquid oblivioni mandasse? Num quia odia convenit restringi, ideo sine ratione in materia odiosa possumus distinguere; & quia favores convenit ampliari, ideo in materia favorabili non debemus distinguere, quando suppetit evidens ratio distinguendi? Non puto. In neutra ergo materia licet distinguere, vel in utraque licet; sed non absque evidenti ratione, quam in presenti materia non facilè reperio.

Quod enim ait Wiggers: Parochus jure suo tenetur servire subdito, quis dubitet? Verumtamen antecesser ad excommunicationem, per quam jure antiquo auferretur ab excommunicato (ut supra dixi) potestas administrandi Sacramenta; imò omnis jurisdictio spiritualis.

Quo igitur jure vel Parochus excommunicatus ante absolutionem tenetur ministrare Sacramenta, vel subditus potest petere eorum administrationem? Certè non nisi jure novo Extravagantis: *Ad evitanda*; quæ, non obstante jure antiquo, subditis tribuit jus communicandi cum omnibus excommunicatis: non quia antecesser ex justitia obligantur ad talem communicationem, cum plurimi sint, qui talem obligationem non habeant; sed ad evitanda pericula animarum, quæ sanè non evitarentur, si solum esset licitum communicare cum Parochis excommunicatis, & non etiam cum privilegiatis; quandoquidem de facto, experientia teste, homines sæpiùs soleant in ministerio Sacramentorum communicare privilegiatis, quàm proprijs Pastoribus.

Nec

Secl. 8. De Suscipiente Sacrament. Concl. 6. 235

95. Nec obstat, quod privilegiatus possit se exulare; nam etiam Paro. huius iure antiquo possit & deberet se exulare; post decretum autem Martini V. Pastor non potest, & privilegiatus non tenetur se exulare. Vel ergo uterque vi novæ illius constitutionis licite ministrat Sacramentum, cum fuerit requisitus, & ego licite utrumque requiro; vel neuter licite ministrat, tametsi fuerit requisitus, & per consequens ego illicite ipsos requiro; quippe, ut supra adhuc insinuavi, & iterum dico:

Nunquam licet petere Sacramentum ab eo, qui non potest licite ministrare. Licet suscipere ad evadendam mortem.

96. Ab eo qui non potest licite ministrare, nunquam licet petere Sacramentum; bene suscipere ad mortem evadendam, secluso tamen formali contemptu legis, abnegatione fidei & scandalo proximi. Ita communiter Doctores. Quod nunquam liceat petere, patet: quia talis petitio foret directa cooperatio ad illicitam ministracionem (ut dixi conclusione 4.) quod autem liceat suscipere ad evadendam mortem, probatur: quia suscipiens Sacramentum in illis circumstantiis solum censetur se habere permissivè ad actionem illam illicitam, cum nullo modo sit ejus causa suadendo, rogando &c. non apparet autem, quod cum tanto suo incommodo teneatur illam malitiam impedire. Nonne licite & meritorie suscipitur Martyrium, quo tamen non potest Martyr licite à Tyranno affici?

97. Secluso formali contemptu legis.

97. Additur: *Secluso tamen formali contemptu legis &c.* quia præceptum naturale negativum obligat cum periculo vitæ. De contemptu legis patet: quia qui contemnit legem, contemnit Legislatorem, Deum utique, qui unus est *Legislator & Iudex supremus & independens, qui potest perdere & liberare*, Jacob. 4. vers. 12. Contemptus autem secundum multos Auctores, nihil aliud est, quam æstimatio minus iusto; sive positiva displicentia proveniens ex aversione animi à Deo, quæ in causa est, quod homo concepiat illam minorem æstimationem tamquam malum aliquod Dei, & suum bonum. Adeoque est species injustitiæ procedens ex odio, quod semper est gravissimum peccatum.

Abnegatione fidei.

98. Quid dicam de abnegatione fidei? Ipsa veritas Christus Matth. 10. v. 33. exclamat dicens: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Si ergo ad evitandam mortem non licet fornicari aut adulterari, minus licitum erit contemnere aut fidem negare.

98. Nec obstat, quod suscipiens Sacramen-

tum in animo suo non contemnat aut fidem neget; quia saltem contemnit & negat coram hominibus, quod sufficit, ut patet ex Scriptura citata. Merito itaque infidelitas vel solum externa semper à tota Ecclesia fuit reprobata. *Corde enim creditur ad Rom. 10; iustitiam (inquit Apostolus Rom. 10. v. 10.) ore autem confessio fit ad salutem.*

Dubitas, quis censendus sit infidelis externus? Respondeo: omnis ille qui vult exterius videri fidem negasse hoc autem vult omnis ille, qui obsequitur voluntati alterius imperantis hoc vel illud in negationem veræ fidei, aut protestationem falsæ; eo quippe sine id præcipit, ut tu iusta complens, exterius appareas negare veram fidem.

Et scandalo proximi. 1. Corin. 8.

Quantum ad scandalum; sufficit quod ait Apostolus 1. Cor. 8. in fine: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo recumbentem: nomine conscientia eius, cum sit infirma, adificabitur ad manducandum idolytia? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Hæc ille dixit & fecit; nos eadem dicamus & faciamus, ne aliena peccata nobis imputentur.

Et hætenus quidem de Sacramentis in genere. Antequam autem progrediamur ad Sacramenta in particulari, operæ pretium duximus paucissimis verbis (nam res certa est & definita) explicare eorum numerum. Itaque suppono cum Ecclesia Catholica ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & Concilio Tridentino sess. 7. can. 1.

CONCLUSIO VII.

Sacramenta novæ Legis nec plura, nec pauciora sunt quam septem; videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

99. DE hoc septenario numero nunquam inter Catholicos fuit dissensio, nec hæretici Lutero & Calvino antiquiores illi contradixerunt: nullum etiam Concilium aut Pontifex primò eum introduxit, nec ullus historicus unquam retulit primum istius

doctrinæ Auctorem, vel tempus quo caput doceri; quemadmodum de singulis hæresibus origo earum refertur ab Auctoribus res sui temporis conscribentibus. Provenit ergo ex traditione Christi & Apostolorum, juxta regulam D. Augusti, lib. 4. de Baptismo cap. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ & divinâ, ubi opus fuerit, traditum rectissime creditur.

Congruentia numeri septenarij ex Florentino.

Porro congruentiam hujus septenarij numeri (nam ratio à priori est voluntas Christi, ut patet ex sect. 2.) accipio ex Florentino supra; cum enim Sacramenta ordinentur ad hominem perficiendum vel in se ipso, vel in ordine ad communitatem: hinc quinque prima (inquit Concilium) ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesie regimen multiplicationemq; ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur. Per Confirmationem augetur in gratia & roboramur in fide. Renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistia alimentâ. Quod si per peccatum & eritundinem incurrimus animam, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout anima expedit) per Extremam Vnctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur.

100. Et ex Scoto.

Non absimiliter Scotus 4. dist. 2. quæst. 1. num. 3. ibi: Secundum, scilicet perfectio maxima Sacramentorum quantum ad extensionem, declaratur; quia sicut in vita naturali primum est generatio, deinde sequitur nutritio & corroboratio, & sanitatis perditæ reparatio; & hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem: præter hoc autem requiritur aliquid pertinens ad communitatem, quo aliquis constituitur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium communitati. Ita spiritualiter ad completam perfectionem extensive, oportet esse adiutorium aliquid pertinens ad generationem spiritualem, & secundo aliquid pertinens ad nutritionem: tertio pertinens ad roborationem: quarto ad reparationem post lapsum. Præter hæc autem quædam requiritur aliquid esse, quo exiens finaliter præparetur; quia vita ista spiritualis quadam via est ordinans, ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur. Hæc ergo quinque requiruntur tanquam adiutoria necessaria personæ cuiusque pro se.

Ad bonum autem communitatis observantis istam legem, requiritur & multiplicatio carnalis; quia ista præsupponitur bono spirituali, sicut na-

tura gratia: & multiplicatio spiritualis aliquorum in ista lege. Sic ergo congruum fuit septem adiutoria conferri observatoribus legis Evangelicæ, in quibus esset perfectio non tantum intensiva, sed etiam extensiva, & sufficiens ad omnia necessaria pro Observantia huius legis. Hæc autem sunt... Baptismus pertinens ad generationem spiritualem: Eucharistia necessaria ad nutritionem: Confirmatio ad roborationem: Pœnitentia ad lapsi reparationem: Extrema Vnctio ad finalem præparationem: Matrimonium ad multiplicationem in esse naturæ, vel carnali: & Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ vel spirituali. Quid clarius?

Nec obstat, quod Scriptura & PP. nulli dicant esse septem Sacramenta; nam nulli etiam hoc negant: adeoque id non concludit ab auctoritate negativa. Quemadmodum non sequitur, non esse quatuor Evangelia, quia Scriptura nusquam hoc dicit. Quippe non fuit Scripturæ aut Patrum propositum, Sacramenta omnia uno loco simul enumerare, quamquam singula sparsim satis tradant, ut agendo de singulis in particulari ostendemus.

Certè si nullus ad hæc usque tempora numerasset aut expressisset in scriptis numerum Epistolarum Pauli; nonne equidem esset de fide, quod sint 14? Sufficit siquidem, quod constat de singulis, quæ simul sumptæ faciunt talem numerum.

Sic ergo sufficit, quod ex Scriptura & Patribus constat de singulis Sacramentis. Et licet forte non omnia & singula Sacramenta æquè clarè ac evidenter ex Scriptura possent probari; siue Etiam si sacra Scriptura auctoritas (verba sunt D. Hier. contra Luciferianos, ante medium) in aliquibus non subesset, totius orbis in hanc fidem consensus instar præcepti obtineret. Quem consensum tantum fecit D. Aug. ut lib. contra Epistolam fundament. c. 5. dicere non dubitaverit: Ego verò Evangelio non crederem, nisi Catholica Ecclesia me commoveret auctoritas. Illam igitur auctoritatem semper præ oculis habentes, illique omnia tam scripta, quam in decursu operis scribenda humiliter libenterque, omni quæ par est reverentiâ, submittentem, Deo dante accedimus ad Sacramenta in particulari.

Porro nihil convenientius fieri potest, quam ut ab illo Sacramento auferamus, quod vita spiritualis janua est, Baptismum intelligo, per quem membra Christi ac de corpore efficitur Ecclesiæ, atque capaces constituimur aliorum Sacramentorum. Proinde jure meritissimo primum locum obtinet, non ordine dignitatis, sed originis. De hoc igitur Sacramento, placuit secundam disputationem hujus operis institvere.

DISP. U.